Die 22 Aprili
Anno Dni 1673

Na wietsza Czesc y Chwa-
te Panny Maryey
obiecatem

Pro Nowicys
Soc

Alberti Soborij

# FASCICVLVS MYRRHÆ

sive Considerationes variæ

DE

VVLNERIBVS CHRISTI

*Compositus per*

A. R. P. VINCENT. CARAFFAM

Societ. Iesu,

Nunc Præpositum Generalem.

[redacted]



*Prostant Lublini*

In Officina GEORGII FÖRSTERI,

cIↃ IↃ C XLVI.

*Cum Privilegio S. R. M. Pol. & Suec.*

Domy Probat. ad S. Steph.

Pro novitys.

*Illustrissimo ac Excellentissimo*

D O M I N O,

# D. ALBERTO

STANISLAO RADZIWIL

Sacri Romani Imperii Principi, Duci in Olyka, & Nieswiez, Supremo M. D. Lithvaniæ Cancellario, Pinscensi, Mevensi, Tucholiensi, Caunensi Capitaneo, Geranonensi, Lipnicensi Wielunensi, Boisagoliensi, Daugelensi Tenutario, &c. &c. &c.

*Domino ac Patrono colendissimo.*

 S. D.

MYrrheam voluptatum meſſem, & amœnam è dolentis CHRISTI vulneribus ſegetem, uno faſciculo innexam, fero Princeps Illuſtriſſime. Nam quæcunque illa eſt dolorum acerbitas, quam ſuo in corpore Servator, veluti publicis tabulis inciſam, luculentiſſimis vulnerum conſignavit notis, tantum voluptatis affundit animis amantium, quantum ipſe profuſiſſimè amoris

mortalium generi impendit, iiſdemque, quibus dolorem juxta ac amorem in homines vulneribus inſcripſit, nobis viam aperuit ad amœniſſimos ſinceræ voluptatis uſus. Paradiſum hîc animus reperit voluptatum, è quo uberrimus fons divini ſanguinis, non jam quatuor, ſed quinque, aut tot potius in partes ſectus, quot vulneribus virginei corporis tellus conciſa, quot ictibus petra hæc diviniſſima eſt percuſſa. Neque invium ad delicias iter eſt, ipſo ad vulnerum januas Amore, invitandi ac ducen-

ducendi ſtudio excubante. Pervigil his ille in oſtiis prope oſtiatim amores emendicat, ac, ne gratis maximum caritatis pretium exoptet, omnes, gazis apertis, opes ſtipulatur; fidem etiam pignorat ſanguinis vadimonio. Hic verò [Seneca] *Vſque in delicias amamur*, ubi ne lateret Amor, mutatis in claves clavis, ferroque viſceribus patefactis aperte ſe prodit Dei in humanum genus caritas infinita, ut nihil ſcilicet haberet mortalitas eò carius, qui, quam pæne prodigus in amandis nobis

eſſet, profuſione cariſſimi ſanguinis teſtari voluit, tot teſtificando nactus ora, quot vulnera perpeſſus. Hæc illa mortalium generi communis voluptatum ac ſinceri amoris ſedes Tuæ Celſitud. in paucis, eſt propria, cui tot inter publicæ rei curas, & magnorum negotia laborum, eò ſæpius animum abducere ſolenne eſt, ubi velut amœniſſimo in horto tumultuum vacuus, & quæ mortalibus incumbunt, curarum expers agat, ac poſito nonnihil humanarum rerum onere à laboribus reſpiret.

Elzearios , Franciſcos Borgias refingit Tua Celſitudo; iterumque, magnarum mentium pulcherrima imitatione , Principes atque aulas doce , publica bene de patria merendi ſtudia ad potiores animi voluptates aditus non intercludere , atque hanc, quæ Patriæ ac civibus boni civis officio debetur, pietatem poſſe ſubductam fluctibus reperire portum , hunc imprimis optatiſſimum , quem in hac eluvione ſanguinis divini ad oſtia maris rubri aperit Dei beneficentia amantis.

Quan-

Quanquam ipſæ etiam optatiſſimi maris tempeſtates tranquillitatem ferunt, & amore potius, quam ſanguine exundantes fluctus fidam in ſe ipſis præſtant paci ac quieti ſtationem. Mortuum videri mare poſſet, niſi vivo amore rubeſceret ac ferveret: fuit equidem mortuum, ſed ſicut in eo humanum genus viveret, nihilque merſum præter ipſam mortem moreretur. Gemmas hic Tuæ Celſitudinis pietas ſanguinis pretioſi leget (veras rubri maris opes) eo cariores, quod divi-

divino rore natæ non minoris conſtare poſſint, quam quod Deo ipſi pretium eſt. Atque hac ego cauſa libentius ad Tuam Celſitudinem accedo, quod non obvio è fonte hauſtam, atque una collectam manu undam, ſed plenum cæleſtium voluptatum atque opum mare uno involutum faſce Tuæ Celſitudinis pietati fero, cui inter myrrhea fluenta è faſciculo dolorum Chriſti largè emanantia prima dulcedo eſt. Neque alia, ſupra hanc dignitatem rei ac pretium, muneris commendatione

tione utar: quam inſuper benevolentiam ſperare, mihique polliceri poſſim, eam Tua Illuſtriſſima Celſitudo dabit autoris dignitati, qui nuper ad gubernacula magnæ in Eccleſia Reipublicæ vocatus, quantum ante claritudinem generis religioſæ vitæ latebris ſepultam voluit, tantum virtutum omnium nobilitate meruit, ut in luce eſſet. Me, vero operæ pretium fuiſſe arbitror, pignus hoc perpetuæ erga Tuam Illuſtriſſimam Celſitudinem obſervantiæ, & promptiſſima ad obſe-

quia humillima voluntatis deferre huic Tuæ Celſitudini voluiſſe. Dantiſci, die prima Novembris 1646.

*Illuſtriſ. & Excellentiſ. Celſitudinis Tuæ*

Devotiſſimus cliens

GEORG. FÖRSTERUS.

S.Ber-

## S. Bernard. Serm. 43. in Cant.

*HÆc meditari dixi ſapientiam, in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum. Hæc me erigunt in adverſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiaque vitæ præſentis via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum. Propterea hæc mihi in ore frequenter, ſicut vos ſcitis, hæc in corde ſemper, ſicut Deus ſcit. Hæc ſtylo meo admodum familiaria, ſicut apparet. Hæc mea ſublimior interim Philoſophia, ſcire* IESUM, *& hunc Crucifixum.*

*EN ſtat Dominus Ieſus Rex tuus expanſis manibus, nudo corpore, manibus ſimul & pedibus perforatis, capite inclinato. confortare nunc & elevare anima mea miſera & infirma, & alis fidei & ſpei ad hunc Hortum charitatis enitere & totum mentis intuitum per varia diſperſum in unum collige, ac apum ſedulitatem imitans ad conficiendum tibi mel devotionis ad Paradiſum charitatis aſcende. Non eſt elevatus in crucem, ut ſe difficilem præberet accedere ad eum volentibus,*

*us, ſed magis ut omnibus poſ-
ſet paratior inveniri. Acce-
dens ergo cum fiducia ad hunc
Paradiſum in extenſione bra-
chiorum cognoſce, ſuſcipe affe-
ctum paratum ad tuos & te ad
ſuos invitantis amplexus, &
quaſi miſericorditer claman-
tis: Revertere, Revertere Su-
namitis, ut intueamur te. In-
tra ergo, Anima, Paradiſum
omnibus Paradiſis meliorem,
nunc quidem ſolo cogitationis
affectu, ut poſtea anima & cor-
pore cœleſtem Paradiſum va-
leas introire. Nec breviter
amplexandus eſt iſte Paradi-
ſus, ſed volandum per ſingulos*

 *illius*

*illius flores, & singulorum florum folia sunt sugenda: nunc ad dexteram, nunc ad sinistram rivulos guttasque sanguinis spargentem est accedendum. In horum contemplatione repete frequenter: Redde mihi lætitiam salutaris tui; ad instar Apis, quæ inter volandum quendam sonum habet, donec in florem intret. Accede tandem ad cor humillimum altissimi* IESU *per januam lateris lanceati. ibi thesaurus ineffabilis claritatis latet, ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia*

*in*

*in adversis, compassio in afflictis, & præcipuè cor contritum & humiliatum ibi invenitur. Ipse* IESUS *complexus tuos desiderat, talis ut complectatur exspectat, caput floridum multis spinarum aculeis confossum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet. Redde vicem & super vulnera mea misericordiâ commovere, & pone me talem, qualem vides, ut signaculum super cor tuum, signaculum in brachio tuo, ut in omnibus cogitationibus cordis tui, & operationibus brachii tui mihi taliter, ut vides, signato similis inveniaris.*

# PROOEMIVM.

IVre totus in admirationem rapitur S. Bonaventura ex consideratione cæcitatis, & amentię cordium humanorum. DEVS se nobis in natura unit humana, neque tamen nos in divina ei uniri volumus. DEVS vestitus nostra natura nostris se miseriis usque ad mortem subjicit: nos neque uniri naturæ divinæ, neque cum ea unione participare volumus de divinis perfectionibus, & vita beata. Cum tamen certum sit Deum nullam à nobis perfectionem recipere, sed eundem semper & immutabilem in seipso permanere, tam nobiscum, quam sine nobis. Homo vero non solum

um perfectionem ſuam Deo debet, ſed etiam ipſam eſſe. & vitam. Anima quoque ut notat Auguſtinus, quia ad Deum ut imago ejus, & ejuſdem capax creata eſt; non ex ſe vivit, ſed ex Deo, de vita Dei, & ſpiritu Dei, *Non de ſe vivit, ſed de Deo.* Hic expendat Chriſtianus qualem futurã putet animam ſuam ſine Deo: utiq; exanimem, ſine vita cadaver. Quod ſi horrorẽ ſpectanti incutit corpus ſine anima, horribilius crede ſpectaculum animæ Dei expertis.

Hæc itaque eſt malitia & cæcitas humani generis: nos ad remedium deſcendamus. quod judicio D. Bernardi conſiſtit in frequenti & affectus plena memoria vulnerum Salvatoris.

Hac enim accenditur lumen fidei in intellectu, ardor charitatis in affectu, & roboratur anima ad currendam absque vacillatione viam salutis usque ad ultimum gloriæ terminum. Hic est fasciculus commendatus, & practicatus ab ipso Bernardo jam inde à principio suæ conversionis. *Fasciculus Myrrha inter ubera mea commorabitur. Hunc & vos dilectissimi tam dilectum fasciculum colligite vobis: hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur.*

Vt autem cooperemini tam sancto exercitio, offertur vobis hic præsens libellus ceu fasciculus collectus ex variis floribus variarum considerationum

num attinentium ad vulnera Christi.

*In pabulum ignis* divini amoris, *& ignis sit iste perpetuus, nunquam deficiens in altari cordis.* Verum quia materia meditationis non sufficit, *nisi Dominus incrementum dederit:* precor Dominum, ut illuminet & inflammet *corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu: ut ille, qui modo est fasciculus myrrhæ per amaritudinem passionum* in præsenti vita: *fiat botrus Cypri* continens in se vinum jucunditatis, & lætitiæ in futura.

## S. Bernardus Serm. 43. in Cant.

*TV, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam atque hunc Myrrhæ tam charum Fasciculum d principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli. amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditation revolvens, quo possis dicere & tu: Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

CONSIDERATIO I.

# VULNERA CHRISTI,

## *Paradisus Animæ.*

1. SI Paradiſus in terris obtineri poteſt, eum obtinuit, qui in Chriſti vulneribus quieſcit. Beatitudo patriæ conſiſtit in gaudio Dei: Beatitudo viæ in patientia Chriſti. Hæc autem patientia ad exemplum Chriſti formata acquiritur per præſentiam, & aſſiduam memoriam vulnerum Domini.

2. Sanctus Petrus exiſtimabat ſe in monte Tabor adepturum veram beatitudinem, ideoque dicebat: *Bonum eſt nos hic eſſe*; erigamus hic tria tabernacula, Deo unum, Moy-

si unum, & Eliæ unum: Verum teste Euangelista *Nesciebat, quid diceret.* innuens petitionem Petri fuisse à Iustitia alienam, & inutilem. At nos fidenter dicere possumus cum S. Bonaventura, *Bonum est nos hic esse*, Scilicet in vulneribus Christi, *& faciamus hic tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere; ubi volo quiescere, & vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare, ubi loquar ad cor ejus, & ab ipso quod voluero impetrabo.* Et in tabernaculo quidem pedum cum Magdalena inquiram veniam meorum peccatorum; in illo verò manuum, cum S. Ignatio per exercitationem virtutum ea semper scrutabor, quæ sunt ad majorem gloriam Christi; in diversorio denique lateris, cum sanctissima Matre, totum me per viam amoris transformabo in infallibilem, & divinam voluntatem. *Et hic erit*

*rit requies mea in ſempiternum, ubi aſcar à vulnere, lactabor ab ubere, & miſcebo lac Matris cum ſanguine Filii, & hæc erit dulciſſima potio mea n vitam æternam, Amen.*

3. Adam ſi in Paradiſo terreſtri perſeveraſſet in innocentia, præter gratiam Iuſtitiæ originalis, certo obtinuiſſet gloriam cœleſtem. Quiſquis habitat in cœleſti paradiſo lateris Chriſti, præterquam quod ſe in innocentia poſſit perficere, habet inſuper certum pignus futuræ in Cœlo gloriæ. *Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis*, inquit S.Leo Papa, *ubi eſt participatio dominicæ paſſionis.*

## CONSIDERATIO II.

## VVLNERA CHRISTI
### *Convivium Divinum.*

LAutum, & magnificum convivium apparat Dominus in ſuis

 divinis

divinis vulneribus: & in quolibet eorum quinque tibi genera ciborum pretiosissimorum apponuntur. Cibi isti sunt Caro, Sanguis, Anima, Persona, & Divinitas. Intuere carnem pro te laceratam, sanguinem pro te profusum, animam tui causa conturbatam, divinam personam pro te incarnatam, divinitatem cum omnibus thesauris gratiæ & gloriæ pro te, & tibi communicatam.

2. Fruere cibis tam salutaribus, & obsecra, ut caro Christi te purificet, sanguis inebriet, anima sanctificet, persona vivificet, Divinitas Deificet, dicesque: *Caro Christi purifica me, Sanguis Christi inebria me, Anima Christi sanctifica me, Persona Christi vivifica me, divinitas Christi Deifica me.*

3. Considera personas, quæ hoc convivium apparant, teque ad illud invitant; sunt enim tres divinæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus San-

Sanctus. Conſidera item miniſtros hujus menſæ, qui ſunt Angeli. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Perſonæ invitatæ ſunt tribulati & afflicti. *Qui ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portant.*

## CONSIDERATIO III.

## VVLNERA CHRISTI

### *Medicina Cœleſtis.*

1. F*ilius Dei altiſſimi jubetur occidi*, inquit Bernardus, *ut vulneribus meis, id eſt peccatis, pretioſo ſui ſanguinis balſamo mederetur.* & ſubjungit. *Agnoſce, ô homo, quam gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt dominum Chriſtum vulnerari.*

2. Anima diverſis in partibus, & variis modis per peccatum vulnerata eſt; Intellectus ignorantiâ, voluntas malitiâ, appetitus concupi-

ſcibilis concupiſcentia, debilitate iraſcibilis. Vulnera Chriſti ceu pharmaca cœleſtia medentur his omnibus plagis. Intellectum ſanant fide, voluntatem charitate, appetitum concupiſcibilem temperantiâ, iraſcibilem continentiâ, & fortitudine.

3. Medicina ut ut amara amatur, & in pretio eſt, quia ſanitatem generat. Et Chriſti vulnera, quamvis nonnunquam affligant, æſtimanda tamen ſunt, & amanda quodam interminato amore, quandoquidem ſunt cauſa æternæ ſalutis, omniſque boni tum gratiæ tum gloriæ.

## CONSIDERATIO IV.

## VVLNERA CHRISTI

### *Fluvius Aquarum viventium.*

1. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* S. Bernardus

nardus per hos Salvatoris fontes intelligit quinque vulnera. Primus fons eſt miſericordiæ, ſecundus Sapientiæ, tertius gratiæ, quartus charitatis, quintus gloriæ & vitæ æternæ. Primi quatuor ad præſentem vitam ſpectant, quintus ſignificatus per vulnus lateris, ad futuram. Et ideo Salvator vivus vulnera manuum, & pedum excepit; at illud lateris mortuus. Ad poſtremum hunc fontem ſuſpirabat Propheta, cum dicebat, *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Foret enim exigui momenti, participem fieri in præſenti vita bonorum gratiæ, niſi adjungantur illa gloriæ. Ita S. Bernardus. Poteris præterea in quinque fontibus quærere quinque gratias explicatas in corona plagarum. In fonte pedis ſiniſtri, petes dolorem de tuis peccatis. in fonte dextri devotionem & inclinationem ad exercitia virtutum: in manu ſiniſtra timorem inferni; in dextera certam

ſpem gloriæ : in latere puram, & perfectam charitatem Dei.

2. Inquire modum, quo tibi ad hos 5 fontes accedendum, ut ex iis bibas cœleſtes aquas divinæ gratiæ. *Haurietis aquas in gaudio.* cum illo ſcilicet perfecto gaudio, quod procedit à viva fide, ſpe certa, charitate perfecta. Crede, ſpera & ama infinitam potentiam Chriſti, qua te ſalvare poteſt; infinitam bonitatem & miſericordiam, qua te ſalvare vult; infinitam efficaciam ſanctiſſimorum vulnerum, quæ quantum eſt de ſuo, tibi nunc ſalutem conciliant. Sic ergo bibes aquas contritionis, devotionis, timoris, ſpei, & amoris, ut explicatum.

3. Verumtamen verum & perfectum gaudium poſſidebitur in altera vita. Tunc vere *haurietis aquas cum gaudio puro, & pleno gaudio de fontibus, id eſt de vulneribus Salvatoris.* Affluit & in præſenti vita gaudium, verumtamen *haurieti*

*cum*

*cum mœrore*, ut doleatis, & condoleatis iiſdem ſanctiſſimis vulneribus. Sola vita æterna libera eſt à doloribus, & abundat conſolationibus. Ideo S. Edmundus in agone conſtitutus inter deoſculandum SS. vulnera dicebat, *haurietis nunc aquas de fontibus Salvatoris.* per quas denique *tranſiit ad gaudium Angelorum.*

## CONSIDERATIO V.

## VVLNERA CHRISTI *Lucerna Eccleſiæ.*

1. HVmanitas Chriſti in Apocalypſi vocatur lucerna. *Lucerna ejus eſt Agnus.* quia ſicut lucerna per diverſas aperturas, & diverſo lumine illuminat: ita ſanctiſſima humanitas Chriſti diverſis viis, hoc eſt per quinque ſacratiſſima vulnera illuminat Civitatem Dei, tam triumphantem, quam militantem. Quan-

Quantum autem ſit lumen iſtud, ex eo colligitur, quia eſt lucerna, quæ lumen à Sole divinitatis accipit. ideo loco citato adjungit Spiritus Sanctus, *Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Quaſi diceret, Civitatem Dei hinc divinitas inſtar Solis illuminat, & illinc humanitas per vulnera ceu luna, aut lucerna, quæ lumen à ſole accipit.

2. Hoc lumen, quod à S S. vulneribus promicat, diverſimodè juxta ſingulorum capacitatem dividitur. ac primum, ut S. Franciſcæ Romanæ in viſione monſtratum eſt, diffunditur ad gloriam SS. Trinitatis, B. Virginis & omnium Sanctorum Cœli. Deinde ſe extendit ad homines in terra degentes, quorum alii unius ſolum vulneris fulgore tangebantur, alii duorum, trium, quatuorve, rariſſimi ab omnibus quinque illuſtrabantur. Illud

porro

porro lumen quod obstinatis in ma-
o destinatum erat, distribuebatur
nter bonos. Vidit insuper quomo-
lo lux, quæ ex sacro latere prodi-
bat, transcendebat suo fulgore reli-
quum lumen, quod à manibus &
pedibus promicabat. Similiter lu-
nen manuum superius erat lumine
pedum. Adhæc catena quædam ex
lammis purissimis, indicibus arden-
tissimi amoris Christi, immissa per
vulnera omne corpus S S. humani-
tatis ambiebat in testimonium,
quod lumen illud non solum re-
plendet, sed etiam accendit & in-
lammat. Nam verè illa quinque
vulnera sunt quinque Soles, &
quinque fornaces divini amoris.
*Fontes lucis, & facis.* Talia expertus
est gloriosus Apostolus S. Thomas,
quando ad unum contactum non
olum fuit illuminatus ad cognitio-
nem, sed etiam inflammatus ad a-
norem divinitatis. *Bona foramina,*
nquit D. Bern. *quæ fidem astruunt*
*resur-*

*resurrectionis* , *& Christi divinitatem.* loquitur autem de fide in Charitate viva , quam idem nuncupat, *Oculum amorosum.*

3. Ad, & per lumen istorum vulnerum juxta S. Bonaventuram pervenitur ad perfectam notitiam rerum , ad quam non pervenitur oculo corporis , aut intellectus naturalis. Hoc lumine cognoscitur DEUS *admirabilis* , *spiritus intelligibilis* , *mundus sensibilis*, *paradisus desiderabilis* , *infernus horribilis* , *virtus laudabilis* , *reatus culpabilis.* Eodem cognoscitur quanta sit Iustitia DEI ad Christum , quanta ad nos misericordia , quanta dignitas animæ nostræ ; quanta vanitas, cæcitas, & malitia mundi ; quanti facienda æternitas gloriæ , quando ad nos ab illa liberandos , & huic restituendos necesse fuit Deum pati , & in Crucem suffigi. Denique eodem cognoscitur quam sit desiderabilis virtus , quam execrabile peccatum

ub

bi ad illam amplectendam, & hoc
igiendum ut nos Deus impelleret,
on dubitavit vulnera, & mortem
ibire. Hoc illustratus lumine dic.
*lumina oculos meos, ne unquam ob-*
*ormiam in morte: & in lumine*
*io*, hoc est sanctissimorum tuorum
ulnerum, *videbimus lumen* æternæ
loriæ.

## CONSIDERATIO VI.

## VLNERA CHRISTI
## *Civitas refugii.*

VVlnera SS. Christi crucifixi
sunt civitas refugii, quia sic-
: in illam *Si quis fugiet, vivet*; ita
hæc, ait Sanctus Augustinus, se-
rissimum nobis est adversus no-
ros inimicos refugium. *Tutum re-*
*gium contra hostes vulnera Salva-*
*ris.* Et quemadmodum qui egre-
ebatur ex Vrbe refugii, se vitæ
riculo propinabat, *& impunè po-*

 *terat*

*terat occidi*: ita quicunque extra be
nedicta vulnera repertus fuerit, pe
riculum subit palmæ de hoste in
fernali non reportandæ.

2. Modus suffugiendi est ingre
di in has mysticas Civitates & tur
res refugii. quod nos docuit S. Au
gustinus his verbis, *Ante te est tur
ris, recordare Christum, & intra i
turrim. recordare cogitando, cum ali
quid pateris, quia prior, plus, & pu
propter te passus est. & quo fine? u
resurgeret. & tu talem finem spera
& non consenties inimico, & intras
in turrim.* Ante te est Christus cru
cifixus vallatus turribus fortissimi
suorum vulnerum. Recordare quo
modo prior, plus, & purè propte
te passus sit, ut tu resurgeres. In ha
turres ingredere & non superabe
ris, neque consenties inimicis tui

3. Mora in civitatibus refug
erat ad tempus, & cum morte sum
mi sacerdotis extinguebantur odi
inimicorum. At nostra mora i

Chr

hriſti vulneribus erit perpetua. :que enim ſperari poteſt , quod dverſarii noſtri unquam ſuum lium deponent.

## CONSIDERATIO VII.

## VLNERA CHRISTI *Nuncia Pacis.*

DEſideratiſſimum illud nuncium pacis inter Deum & ominem attulêre nobis SS. vul- era Salvatoris. *Pax vobis* , dixit ſt reſurrectionem ſuam Chriſtus l diſcipulos , & continuo oſtendit s vulnera. *Et cum hoc dixiſſet , tendit eis manus , & latus.* dicere idebatur: ſi vobis grata eſt pax,de- itas gratias rependite ejus Autho- bus vulneribus,quæ oſtendo.

2. Vera pax ſecundum Auguſti- um conſiſtit in viſione Dei, *pax in iſione SS. Trinitatis.* Hæc autem t effectus vulnerum. *Collyrio* ſan-

guinis vulnerum *inunge oculos tuos ut videas* beatificantem essentian divinæ gloriæ.

3. Vniuntur in vulneribus Christi justitia & pax, quæ sibi invicen adversabantur. *Iustitia, & pax osculatæ sunt.* Hæc enim vulnera satis faciunt Iustitiæ Dei, & nobis pacem ac misericordiam conferunt.

## CONSIDERATIO VIII.

## VVLNERA CHRIST[I]

### *Facundi Oratores.*

1. Efficacissimum medium a[d] impetrandas à Deo Patr[e] gratias, quibus egemus, est peter[e] per vulnera dilectissimi ejus Filii quam veritatem nos docuit Christus Ioan. 6. c. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, id est, propte[r] me, & propter vulnera mea, *dabi[t] vobis.*

2. Neque solum per viam misericor

ericordiæ impetrant, ſed etiam
ɩer viam Iuſtitiæ: & quod nobis eſt
ratia, eſt ſanguini Chriſti debitum
& juſtitia.

3. Hoc medium orandi per vul-
ıera Chriſti erat D. Franciſco Xa-
verio familiare, qui identidem
ıanc orabat collectam. *Domine Ie-*
*ſu Chriſte, Deus cordis mei, per quin-*
*que illa vulnera, quæ tibi in cruce*
*noſtri amor inflixit, tuis famulis ſub-*
*veni, quos pretioſo ſanguine red-*
*emiſti.*

## CONSIDERATIO IX.

## VVLNERA CHRISTI
### *Hoſpitium Animæ.*

1. O *Beata lancea, ac beati clavi, qui apertionem hujuſmodi fa-*
*cere meruerunt. O ſi fuiſſem loco illius*
*lanceæ, exire de Chriſti latere noluiſ-*
*ſem, ſed dixiſſem: Hæc requies mea*
*in ſeculum ſeculi, quoniam elegi eam.*

Invideo & clavis & lanceæ beatitudinem, quam consecuti sunt intrando in sacrarium carnis Christi. Equidem me nemo illinc eduxisset *in seculum seculi.*

2. *Præ nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum: sibi etiam voluit pedes, & manus perforari, ut cum ad ipsum perveneris, sic tuæ manus intrent in suas, ac pedes tui in suos, ut sibi inseparabiliter conjungaris.* Aperuit latus, ut tibi cor suum donaret: aperuit manus, & pedes, ut totus absque ulla disjunctione illi adhæreres.

3. *Obsecro secundum Apostolum, anima mea, omnia proba hæc conerii experiri: & si bonum tibi videtur, inde amplius non discedas: & non dubito, quod si fueris experta, omnia præter ipsum & ejus vulnera, amaritudinem reputabis.*

## CONSIDERATIO X.

# VVLNERA CHRISTI
## *Divina Cœlatura.*

1. CHriſtus de quo Petrus Apoſtolus dixit; *Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, lapidem ſummum ſingularem, electum, pretioſum*; ut in petram fundamentalem cœleſtis Jeruſalem ſtatueretur; cœlandus fuit & ſculpendus divinâ cœlaturâ ſacrorum vulnerum. *Ego cœlabo cœlaturam ejus*, aut ut alii legunt, *aperiam apertionem ejus*. Ego, inquit Pater æternus, aperiam in manibus, pedibus, ac latere Chriſti hiatum vulnerum.

2. Similem in modum illi, qui deſiderant, *tanquam vivi lapides ſuperædificari in Chriſto*, petra Fundamentali cœleſtis patriæ, debent

esse sculpti, & cælati cælaturâ mortificationum. *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis, per manus artificis*, ut canit Ecclesia. Crux itaque nihil est aliud, quam scalpellum, quo scalpitur, & perficitur anima: eoque Christus tam se, quam nos expolit, quare dicitur. *Per Passionem consummatus*, id est perfectus. Nam *decebat*, inquit Apostolus, *eum propter quem omnia, & per quem omnia, per passionem consummari*, hoc est, *perfici & coronari*; & eodem medio *alios perficere, & coronare.*

3. Templum Salomonis ædificatum fuit *de lapidibus dolatis, atque perfectis: sed malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur*. Totus enim labor, & omnis cælatura extra templum facta est. Pari ratione in templo cælestis gloriæ omnes Beati sunt instar lapidum politorum, & perfectorum, at instrumenta

a perfectionis, quæ ſunt perſecu-
iones & mortificationes, non in-
grediuntur cum ſanctis in Cœ-
lum, in una & ſola hac præſenti vi-
a ſentiuntur.

## CONSIDERATIO XI.

# VULNERA CHRISTI *Mamillæ Divinæ.*

1. CHriſtus, ceu Mater benevo-
lentiſſima, nutrit & lactat
Eccleſiam ſuaviſſimo lacte benedi-
ctorum vulnerum, congregat ani-
mas intra ſuum pectus, & in ſinu
ſuo eis blanditur. *Hæc dicit Domi-
nus, ad ubera portabimini, & ſuper
genua blandientur vobis. Quomodo
ſi cui mater blandiatur, ita ego con-
ſolabor vos.* Beatæ illæ animæ, quæ
*quaſi infantes ſugentes ubera* om-
nem alium mundi cibum reſpuunt,
oculos ad quæcunque objecta crea-
ta claudunt, & magna aviditate in-
volant

volant in mamillas vulnerum, & inde lac sanguinis exugunt.

2. Roga Dominum, ut *ubera ejus inebrient te in omni tempore, & in amore ejus delecteris jugiter: quia meliora sunt ubera ejus vino* consolationum mundi. *Meliora, quia puriora*, absque admixtione amaritudinis. *Meliora, quia intimiora*; replent consolatione non solum omne corpus, sed etiam animum.

3. Prosequitur divinum oraculum. *Et in Ierusalem consolabimini*, plenitudo enim gaudii in Cœlo promittitur, ubi animæ *inhiantes semper edunt, & edentes inhiant*. Bibunt absque ructatione & tædio bibunt summa cum voluptate. Isthic bibere est ipsum gaudere, lactari, & amare, eruntque semper lactentes, quia semper erunt amantes.

## CONSIDERATIO XII.

## VVLNERA CHRISTI *Teſtimonium perpetui Amoris.*

1. VVlneribus Chriſti per mortem ereptus eſt labor, ſed non amor. Amor ea adaperuit, & amor ea ante Patrem noſtri cauſa aperta ſervat. *Charitate perpetua dilexi te.* Perpetua, quia *ab æterno* cœpit nos amare, & amabit in æternum.

2. Expende quo affectu amoris Chriſtus in Cruce inter ſummos ſuorum vulnerum dolores tui recordatus ſit, rogans pro te Patrem. Eodem affectu nunc in Cœlo idem pro te officium exercet. *Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſecula.* Idem eſt in amore in tempore, & in æternitate.

3. Revelavit Chriſtus D.N. ſan-

ctæ Mectildi, quod eodem affectu quo se in sacrificium pro nobis in ara Crucis obtulit, etiam nunc ad dexteram Patris stans offerat. *Sicut hostiam in ara Crucis me aliquando obtuli, sic adhuc eodem amoris affectu assisto Christo Deo Patri pro peccatoribus.* O pia vulnera mei Domini, pro nobis & in nostram salutem semper aperta. *Quid retribuam Domino?* Amori perenni perenne respondeat tributum mei cordis.

## CONSIDERATIO XIII.

## VVLNERA CHRISTI *Rosæ Floridæ.*

1. FLos rosarum est Christus propter purpureas rosas sacratissimorum vulnerum, quæ verum rosarum nomen merentur. Primò quia sicut rosæ oblectant sensum corporis, ita vulnera Christi solantur & exhilarant sensus animæ.

2. Ro

2. Rosa nascitur inter spinas, agitata odoratior est, & ut alios odore recreet, seipsam absumit. Vulnera quoque Christi inter spinas & clavos reserata sunt. Adhæc odorem fragrantissimum dedêre, cum maximis affligerentur tormentis. Denique ut nobis vitam tribuerent, se morti in prædam tradiderunt.

3. Rosa index est abscessus Hyemis, & accessus Veris. Christus suis vulneribus conclusit Hyemem peccatorum, & adaperuit Ver paradisi, ubi coronis rosarum *in perpetuas æternitates* tempora Beatorum serenabit.

## CONSIDERATIO XIV.

## VULNERA CHRISTI *Thesaurus Ecclesiæ.*

1. THesaurus S. Ecclesiæ sunt vulnera Christi, in ipsis enim

conservantur inæstimabilia mer
Salvatoris, propter quæ nobis tri
buuntur omnia dona supernatura
lia gratiæ & gloriæ. *Et per effusio*
*nem sui sanguinis Christum infi*
*tum Ecclesiæ militanti thesaurum*
*acquisivisse*, asserit Leo X in qua
dam bulla. O thesaurum infini
tum, thesaurum incomparabilem
thesaurum nunquam exhauri
dum! Vna sola gutta ipsius pre
tiosi sanguinis propter unionem
hypostaticam ad Verbum suffi
entissima est ad redimendos mil
Mundos.

2. Non reperiet unquam no
stra paupertas aliud remedium
quam uti divitiis thesauri Chri
sti. *Quidquid ex me mihi dee*
inquit Augustinus, *usurpo mihi*
*visceribus Domini mei, quoni*
*misericordiâ affluunt, nec desu*
*foramina, per quæ effluant.* Per his
canales sanctissimorum forami
num depluunt ad nos omnes gra
ti

æ, omnes miſericordiæ, & om-es conſolationes Cœli. Vernant emper *in* divina præſentia, & in Dei *acceptatione* immenſa & infini-a merita illorum vulnerum, & pro-ter illa nobis Dominus noſter ommunicat gratiam, noſque libe-at à pœnis purgatorii, quas propter eccata noſtra meruimus. Verun-amen omnia dona Dei ſunt effe-ctus & Iuſtitiæ, & miſericordiæ ſi-nul. Iuſtitiæ intuitu vulnerum Chriſti, miſericordiæ intuitu no-ſtrorum meritorum.

3. Inſuper in hoc theſauro vulne-rum conſidera ſupereffluentẽ men-ſuram ſatisfactionis SS. Virginis & omnium Sanctorum, qui in propriis martyriis exceſſerunt promerita ſuorum delictorum. *Ad theſauri cumulum* ( ita in extravaganti, *unigenitus*, definitur) *adminiculum etiam præſtare merita B. Virginis & aliorum Sanctorum.* Quod ipſum redundat in majorem gloriam vulnerum

Christi. non enim solum pro nobis satisfecerunt, sed etiam communicarunt potestatem & virtutem, si non merendi, certè satisfaciendi pro aliis.

Ex his, quæ dicta, excitatus inter exercendum virtutes, cum tentationes inimici superas, cum gratiâ divinâ adimpleris, cum sanctis inspirationibus supereffluis; agnosce divinorum vulnerum efficaciam, ab illis enim hæc omnia profluunt. Virtus illius pretiosi sanguinis in te operatur. quare justum est te in quovis loco, & in omni opere eorum memorem esse, agendo gratias & benedicendo in æternum. Matri quoque sanctissimæ age gratias, quia dum communicat dolori sanctorum vulnerum, neque ob inexplicabilem suam puritatem eget illorum lavacro, tibi impertit ejus effectum, qui est ablutio tuorum peccatorum. Eandem ab aliis sanctis gratiam expecta, *qui adimpleverunt*,

*-erunt, quod deerat in passione Chri-sti in carne sua pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

## CONSIDERATIO XV.

## VULNERA CHRISTI *Signaculum Cordis.*

1. APprimi debent divina vulnera cordi nostro, ut Sigilla ceræ. Atque ut sigilla duram ceram fugiunt, quærunt mollem; ita nisi cor nostrum à calore divini amoris mollefactum fuerit, non recipiet in se cælestem impressionem divinorum vulnerum.

2. Cum Christus D. N. servum suum Franciscum impressione suorum stigmatum in manibus, pedibus, & latere decoravit, apparuit in effigie crucifixi à Seraphino circumcincti. *Seraphim crucifixus apparuit.* hac nos imagine erudiens, quod Seraphicus amor nos disponat

ad participandum beneficia Crucifixi. Et ille vulgo habitus Franciscus, quia incendio amoris divini in Seraphinum immutatus fuerat, factus est dignus, qui per communicationem sacrorum vulnerum esset alter crucifixus.

3. Merito itaque indivisibiliter uniuntur Seraphim, & crucifixus. neque enim unquam donaberis divina consolatione, nisi crucem & mortificationem Christi amplexeris.

## CONSIDERATIO XVI.

## VVLNERA CHRISTI

### *Rete Divini Amoris.*

1. EN *ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Stat Christus post parietem, quia intermedio corpore occulit suam divinitatem. *Et respicit per fenestras*, quia per

per vulnera proſpicit noſtras ærumnas, eiſque medetur. Benedicta vulnera, quæ dum ſe inter noſtra peccata, & divinam Iuſtitiam interponunt, mutant ſententiam mortis in vitam.

2. *Reſpicit per feneſtras*, aut ut alii legunt, *per retia.* O Retia Divini amoris, quæ attrahitis, & votis illigatis cor Dei; ut ad nos attrahatis, vobiſque illigetis animas noſtras. Cum aperta, & extenſa fuiſtis in cruce, *homines revertebantur percutientes pectora ſua.* Iiſdem Apoſtoli *facti ſunt Piſcatores hominum.*

3. *Reſpicit per retia, apparet per retia, eminet ſuper retia.* Se per vulnera viſendum exhibet, quia *patent viſcera: & eminet ſuper retia, quia qui potuit guttâ, voluit undâ, & quod ſatis fuit ad meritum, non ſatis fuit ad amorem.*

## CONSIDERATIO XVII.

# VVLNERA CHRISTI
## *Arma Myſtica.*

1. DAvid bellaturus adverſus Goliathum, *delegit quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum*; & cum appropinquaſſet Philiſthæo, *miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte.* Cumque prævaluiſſet, nec gladium haberet in manu, arrepto Philiſthæi gladio præcidit caput ejus. Hi quinque lapides ſignificant quinque Chriſti vulnera, quæ primum in pera memoriæ ſunt accuratiſſime ſervanda. Dein funda intellectus attente, & penſiculate expendenda (*& circumducens*) circumducendo ea in cœlum, in terras, in infernum, ubi-

bicunque ejus effectus deprehendi
ossunt. Tertio in tentationibus
pponenda sunt inimicis nostris,
ertam enim victoriam nobis adfe-
ent.

2. Primis quatuor lapillis inscri-
ta erant nomina quatuor Patriar-
harum Abrahæ, Isaaci, Iacobi, &
Moysis. Quintus, quo corruit gi-
gas, insignis erat nomine Iosue, fi-
gurâ & Symbolo Sanctissimi nomi-
nis Iesu; ad indicandum, quod non
irtus legis scriptæ, sed gratia Eu-
ngelii per merita Christi, & ejus
ulnerum devictus, & eliminatus
t dæmon.

Quinque lapides elegit David,
no obtinuit victoriam, adjuvante
nda & manu. Nec vulnera Chri-
ti adjutura credamus, nisi coope-
emur manibus nostris.

3. Revertenti Davidi cum victo-
ia, & triumpho in occursum ve-
erunt mulieres de Vrbibus Israel
*ntantes, chorosque ducentes in Tym-
panis*

*panis lætitiæ, & in Sistris.* Anima quoque cum ab hac vita abierit onusta spoliis & trophæis, habebit Cœli cives, paradisi incolas obvios, cantantes iu Citharis ejus heroica facinora.

## CONSIDERATIO XVIII.

## VVLNERA CHRISTI

### *Facundæ linguæ.*

QVot vulneribus, tot linguis loquitur Salvator noster.

1. Loquitur, & decantat Patri suo laudes, quia illis *non quæsivit gloriam suam; sed ejus, qui misit eum, Patris.*

2. Loquitur victorias, *quia sunt victoriæ suæ triumphus.*

3. Loquitur impetrando nobis salutem, quia per ea *salutis humanæ exigit pretium.*

4. Loquitur ad nostram exhortationem, & doctrinam nos ad patien-

ientiam exemplo suo animando. *Confidite, ego vici mundum* per hæc vulnera. Vos quoque si mei causa sustinueritis dura, vincetis.

5. Loquitur his linguis *in confusionem malorum* in die Iudicii, *Ecce hominem, quem crucifixistis: videte vulnera, quæ inflixistis: agnoscite latus, quod pupugistis. quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.*

## CONSIDERATIO XIX.

## VULNERA CHRISTI *Peccatorum spongia.*

1. SEntentia nostræ mortis firmata divino decreto, & pœna æterna non aliter deleri potuit, quam vulneribus Christi. Clavi illi, qui ejus carnem transfixerunt, discerpserũt chirographum damnationis, & ille sanguis, qui ab illis vulneribus promanavit, extinxit cha-

characteres mortis. *Delevit, quod adversus nos erat, Chirographum decreti affigens illud cruci*, & in carne sua per clavos convellens.

2. Hoc innuebat Propheta, cum dicebat, *vulneratus est propter iniquitates nostras*, ut scilicet discerperetur codicillus, in quo iniquitates & peccata nostra descripta erant.

3. Neque sola peccata nostra, sed etiam homo vetus, qui est noster fomes, & nostra concupiscentia cum Christo in crucem venerunt. *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*scilicet cum Christo*) destruendo peccatum, & frænando ac dirigendo concupiscentiam nostram.

## CONSIDERATIO XX.

## VVLNERA CHRISTI

### *Purgatorii evacuatio.*

1. QVemadmodum virtus vulnerum Christi est in dimittendi

endis culpis infinita ; Sic & infini-a eſt in ſatisfaciendo pro pœnis pec-:ati, & in remittendis pœnis per ea n purgatorio promeritis. Intuere ›enedictas illas animas flammeis :atenis undique circumcinctas , |uomodo tuam ſpem in vulneribus Chriſti repoſitam habent.

2. Efficaciſſimum remedium iis ubveniendi eſt, efficaciſſimo affectu n hæc vulnera ferri. Cum Chriſtus ›oſt mortem ſuam ad limbum & urgatorium abiit, non omnes ani-nas ex purgatorio ex ſententia S. Thomæ eduxit , ſed eas ſolummo-o, quæ dum viverent, teneriore ffectu ejus vulnera proſecutæ ſunt.

3. Conſueverat pia quædam per-ona pro animabus purgatorii reci-are quinquies *Pater* & *Ave* in ho-iorem quinque vulnerum, quæ et-am affectuoſiſſimè eodem fine ſua-iabatur. Forte pium hoc opus ex-rcens pro certa quadam anima, ad ›ſculum lateris ecce conſpicit pro-

 fluere

fluere ſanguinem, & aquam de i
vaporem quendam exſpirante:
quod erat indicium liberatæ an
mæ. Hæc devotio opportuniſſim
eſt tempore, quo ſacra hoſtia à ſ
cerdote elevata oſtenditur popul

B. Ioannes de Alvernia obſecra
re ſolebat per interceſſionem Sa
ctorum vulnerum, à Deo miſer
cordiam animabus purgatorii : &
ecce aliquando tantam inde mult
tudinem vidit prodeuntem, ut mu
titudinem ſcintillarum à magna, &
ardenti fornace prodeuntium exa
quaret.

## CONSIDERATIO XXI.

## VVLNERA CHRISTI

### *Schola Spiritus Sancti.*

1. SVmma, & Epitome doctrin
Chriſtianæ comprehendit
in hac à Chriſto prolata ſententia
*Qui amat animam ſuam, perdet eam*

*& q*

*& qui odit animam suam in hoc mũdo, in vitam æternam custodit eam.* Doctrina quam vera, tam difficilis carni & sensui, neque absque lumine & Magistro divino intelligi potest.

2. Magister, qui non solum speculativè, sed etiam practicè hanc veritatem docet, est Spiritus sanctus; schola, vulnera Christi. Istic anima illuminatur, & cognoscit, quomodo amor sui sit sui odium, & odium amor, quodque amans vitam in hoc mundo eam perdet in altero, at verò persequens & odio habens in hac vita, eam adinveniet in altera. Contemplare praxin hujus doctrinæ in Christo, qui dum odit in vita præsenti, resuscitat ad æternam.

3. Ante Spiritus sancti Adventum timebant Apostoli mortem, & tyrannorum aspectum fugitabant. At ubi divinus Magister advenit, & docuit mysterium Crucis & vulnerum Christi, finem, utilitatem, &

præmia paſſionis, martyrii & mortis pro Chriſto: ſponte ſe martyriis ingeſſerunt & vulneribus. *ibant gaudentes* ad cataſtas & Cruces.

Sanctus noſter Franciſcus Xaverius, multum in hac Schola vulnerum Chriſti eruditus, in omnibus ſuis adverſitatibus & ærumnis hac ſe ſententia ſolabatur, *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Huic ſe conformabat, huic obtemperabat, ut ipſe noſtris Goenſibus referebat.

## CONSIDERATIO XXII.

## VVLNERA CHRISTI *Animæ noſtræ Patria.*

1. VVlnera Chriſti, ut vera noſtra patria, agnoſcenda & diligenda ſunt, namque in illis, & per illa recreati ſumus Deo, & regenerati ad vitam gratiæ.

*Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſeri-*

*misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* A vulneribus Filii concipitur spes, vulneribus lactamur.

2. Quisquis amat patriam, si se extra illam inveniat, vivit ut peregrinus, & cum animo repatriandi. Simili modo probrosum est animæ extra vulnera Christi vivere ut civem. Peregrinam decet esse extra vulnera, & cum animo revertendi ad illa; & ut in patria, in illis suavissimè, & jucundissimè diversandi.

3. Duas habet patrias verus Christianus, altera est vulnerum, in qua gignitur gratia; altera Cæli, in qua renascitur immortalis ad gloriam. Utque in morte certus sis de futura Cæli patria, fac in vita præsenti sis vulnerum civis.

## CONSIDERATIO XXIII.

## VVLNERA CHRISTI

### *Veri gaudii mensura.*

1. MEnſura gaudii in vita ſpirituali capi debet à communicatione, & participatione vulnerum Chriſti. *Communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete*; inquit Apoſtolus, quod Tertullianus his verbis explicat, *ſecundum quod communicatis.* quaſi dicat, tantum gaudete, quantum participatis de Cruce, & vulneribus Chriſti, neque proferte menſuram gaudii ſuprà menſuram paſſionum.

2. Menſura paſſionum commenſurari debet menſuræ præmii. *Vocavit nos*, inquit Apoſtolus, *in æternam gloriam ſuam modicum paſſos*; *Si compatimur, conregnabimus.* Ait, *modicum, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram*

*am gloriam, quæ revelabitur in no-*
*is.* Itaque si desideras *mensuram*
*onam, & confertam, & coagitatam*
loriæ, magno animo capesse su-
erabundantem mensuram Cru-
is.

3. In sacra scriptura dies festi-
us vocatur dies afflictionis. *Mira*
*estivitas*, inquit Orig. *Dies festus*
*ocatur afflictio animæ. Vide ergo, si*
*is, ut lætetur Deus super te, afflige*
*nimam tuam, & humilia eam.* Ob
d sancti martyres ad pœnas & tor-
nenta velut ad epulas, & festa con-
olabant. Cum sanctis Marco, &
Iarcelliano Tyrannus diceret; *Re-*
*piscite miseri, & vos ipsos ab his*
*uciatibus eripite*; respondebant,
*Nunquam tam jucunde epulati su-*
*mus, quam cum has libenter pœnas*
*esu Christi causa perferimus.*

## CONSIDERATIO XXIV.

## VVLNERA CHRISTI *Sors Beata.*

1. SOlum in manibus Christi vulneratis, imò terebratis sors nostra invenitur. *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* Sors Sanctorum est hæreditas gloriæ. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine scilicet gloriæ.*

2. Felix & beata sors sanctorum, *Sanctos videre, cum sanctis esse, & esse Sanctum. Deum videre, & Deum habere in æternum & ultra.* Vocatur hæc sors hæreditas Beatorum, partim quia olim sorte dividebatur inter hæredes hæreditas; *partim quia sine ullis nostris meritis eligit nos ad salutem.*

3. Beatos aliqui se æstimant, si bonis fortunæ affluunt; alii in gratiis naturæ triumphant. Ego autem cum

cum Davide omnem meam ſortem in Domini vulneribus ejuſdem manibus inſculptis locabo. *In manibus tuis ſortes meæ.* Obſecro te Domine, ut eadem tua vulnera in tuis manibus felicem ſortem nanciſcantur, non mortis, ſed vitæ; non ſervi, ſed filii, & hæredis, Amen.

## CONSIDERATIO XXV.

# VVLNERA CHRISTI
## *Mors Peccati.*

1. VNa vulnerum Chriſti memoria tantarum eſt virium, ut quemadmodum à luce tenebræ, à vita mors; ſic ab ea pellatur & deſtruatur omne peccatum, *de peccato damnavit peccatum*, inquit Apoſtolus. Chriſtus ſuis vulneribus, hoc eſt, ſacrificio pro peccato oblato damnavit, & deſtruxit peccatum. Et ſanctus Bernardus, *Tanta eſt virtus vulnerum Chriſti, ut ad eorum memo-*

*memoriam totius peccati, & mortis fugetur exercitus.*

2. Memoria vulnerum non ſolum deſtruit peccatum, ſed etiam mortificat pravas inclinationes, & concupiſcentiam peccati. *Vbi mors Chriſti* inquit Gregor. *animo circumfertur, nulla poteſt concupiſcentia regnare peccati.*

3. Eadem memoria fugat, & vincit dæmonẽ. Mariam Magdalenam in deſerto vehementer à dęmonibus oppugnatam, apparens Angelus munivit cruce Domini. Viſebantur in ea quinq; vulnera, & myſteria paſſionis. Erexit autem eam ad Oſtium ſpeluncæ: ex quo tempore immunis fuit ab inſultibus Magdalena.

## CONSIDERATIO XXVI.

## VVLNERA CHRISTI

### *Medium prædeſtinationis.*

1. COmmunis eſt Sanctorum doctri-

loctrina, nostram prędestinationem
ion esse simplicem, sed compositam
x duobus. Prædestinatos nos esse
d Crucem simul, & Regnum ; ad
atientiam Christi, & gloriam Dei;
d dolorem sanctissimorum vulne-
um , & ad gaudium illorum. Ad
rius, ceu medium ; ad posterius,
eu finem. Hæc doctrina eruitur
x verbis Apostoli: *Prædestinavit
os conformes fieri imagini Filii
ti.* Prædestinavit nos Deus ad
loriam , & ad conformitatem ,
u imitationem Christi Filii
ii.

2. Ex hoc principio deducuntur
iquot conclusiones. 1. Si Deus
er nostrum ad Crucem dirigat,
etemur. Signum enim est , quod
l gloriam quoque directi simus.
Quod si Crux , ad quam dirigi-
ur , magna est , magna quoque
it gloria. 2. Tribulationes, quæ
obis eveniunt , ( excepto pecca-
) quia sunt media ad gloriam di-
recta,

recta, veniunt de manu Dei, easque voluit, approbavit, & *ab æterno* ordinavit. Eas, ut gratias à Deo nobis donatas, decet nos æstimare, acceptare; amplecti, & amore prosequi, non minùs atque ipsa gloria nobis chara est. 3. *Non est tempus in hac vita evellendi clavos de Cruce* ut asserit Augustinus, sed perseverandi sub clavis in cruce cum Christo vulnerato. Omne enim vitæ præsentis tempus destinatum est cruci, ceu pignori, & arrhæ futuræ gloriæ.

3. Ideo merito dicebat Apostolus. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* noverat enim quia *tribulatio patientiam operatur, patientia autem spem, spes verò* (scilicet præmii gloriæ tribulatis promissæ) *non confundit.*

CON

## CONSIDERATIO XXVII.

# VULNERA CHRISTI
## *Opus nostræ Redemptionis.*

OMnes Christi actiones sunt
opera nostræ Redemptio-
is. Cum enim & omnes colle-
im, & quælibet singillatim sint
aloris infiniti propter dignitatem
ivinitatis ; possunt esse , & sunt
iusa nostræ salutis. Nihilominus
ılnera Christi singulare quid in se
ntinent, propter quod dicuntur,
: sunt opus nostræ salutis. Addunt
iim ultimum complementum an-
cedentibus totius vitæ meritis.
*uod potuit gutta , voluit unda* ,
quit Bernardus. poterat una san-
inis gutta ,imo uno passu, aut o-
ıli gyratu nos redimere : attamen
l ostendendum thesauros suæ bo-
tatis , quidquid fecit & passus est
to vitæ tempore , id omne ad

cumulum completæ, & adæquatæ nostræ Redemptionis adjecit, *Oportuit pati Christum, & ita intrare i gloriam suam. Et factus obediens u que ad mortem Crucis. Et per pa sionem consummavit omnia.* Han etiam ob causam non ante accept in cruce vulnera clamavit, *consum matum est.* quasi diceret, ex ha hora depositum est omne capital meorum meritorum pro salute ho minis: effusum est pretium nece sarium in Redemptionem anima rum juxta ordinationem & volu tatem mei æterni Patris.

2. Opus nostræ Redemption secundo singulariter Christo attr buitur *ex genere operis*, ut S. Th mas docet, quia justum est, ut q vitam suam alterius causâ perdi illam pro sua adipiscatur.

3. Vulnera Christi Sanctissim quibus redemptio animarum deb tur, vobis hanc animam, utpo mancipium per vos redemptum, o

fero

ero: vobis meum cor, ſubſtantiam, & opera omnia ſacro, & quemadmodum à vobis, & per vos vivo; ta impetrate mihi, ut per vos, & ad gloriam veſtram operer.

## CONSIDERATIO XXVIII.

## VULNERA CHRISTI *Portæ Templi.*

1. TEmplum Dei vivum fuit Corpus Chriſti ſanctiſſimū. *olvite templum hoc. quod dicebat* idem Chriſtus) *de templo corporis ui.* Portæ hujus templi ſunt ſacra ulnera. per hæc ad atrium carnis, er hæc ad ſancta animæ, & ad *Santa Sanctorum* divinitatis Chriſti ervenitur.

2. Portæ Templi gloriæ *ſingulæ int ex ſingulis margaritis* candidiſmis. Portæ templi myſtici Corpois Chriſti ſingulæ conſtant ex ruicundo chryſolito. neque quiſ-

quam per illam candidam ingredietur, nisi hanc rubram passionis penetraverit.

3. Per has portas (inquit Christus) anima *ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* Egredietur à se ipsa, & ingredietur per amorem in cor Christi, ubi inveniet vera pascua vitæ æternæ, pascua charitatis, & divinitatis. O *amare ô ire! ô sibi perire! ô ad Deum pervenire!* clamat S. Augustinus. Roga Dominum, ut tibi lumen impertiat, ut intelligas quanti momenti sit *sibi perire, & ad Deum pervenire.* quid amare, & amando à se ad Deum ire.

## CONSIDERATIO XXIX

## VVLNERA CHRISTI

### *Flores æternæ Gloriæ.*

1. IAm *hyems transiit, imber abiit, & recessit: Flores apparuerunt*

*runt in terra noſtra.* Tranſiit hyems infidelitatis, & inimicitiæ cum Deo. Hoc beneficium, hæc gloria debetur virgineæ terræ humanitatis Chriſti, in hac comparuerunt flores vulnerum. *Flores rubentes, & ardentes.* Rubentes ſanguine Paſſionis, & ardentes igne charitatis. In paſſione rubeſcunt, ardeſcunt in charitate.

2. Inter deliquia amoris anima dilecta ad hos flores ſuſpirat. *Fulcite me floribus, quia amore langueo.* vani ſunt flores mundi, *odor mortis in mortem.* At flores Chriſti, odor vitæ in vitam.

3. Si vulnera, & Affictiones noſtræ, *Flores ſunt bonorũ, quæ expectamus, & propter fructum florem quoq; decerpimus*; quanto magis vulnera, & dolores Chriſti ſunt flores vitæ æternæ; & propter fructum, quem inde ſperamus, decet nobis charos eſſe hos flores, & vivere in eorum fragrantia, & odore.

## CONSIDERATIO XXX.

## VVLNERA CHRIST

## *Fodinæ Gratiæ.*

1. ERat divinitas Christi fodin gratiæ abundantiſſima, ſe incognita. *Theſaurus inviſus*, au non comparens, *quæ utilitas in illo.* Tandem manifeſtavit ſe, & aperui ſacras fodinas vulnerum. *& de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

2. Artem in his fodinis laborandi nos docet S. Hieronymus, *projiciendo terram*, hoc eſt, renunciand omnibus terrenis affectibus. Quoc ſi non putatur inutilis labor, qui ir terrenas haſce fodinas impenditur, quamvis inde nihil præter terram eruatur; quanto potiori ſibi jure noſtros ſudores vendicabunt hæ fodinæ ſpirituales, ex quibus pro terra cœlum, gloria, Deus ipſe bonum increatum & infinitum invenitur.

3. Neceſ-

3. Necesse est nos instruente Apostolo in anima nostra ædificare *Aurum, Argentum, lapides pretiosos*, ut templum, quod exstruimus, sit dignum Spiritu sancto. Porro aurum illud charitatis, & argentum sapientiæ, nec non lapides pretiosi virtutum reperiuntur in vulneribus Christi, ceu in loco proprio. *Thesaurizate vobis thesauros* ex fodinis vulnerum Christi, ubi copiosissimæ, & inamissibiles inveniuntur divitiæ gloriæ, & vitæ.

## CONSIDERATIO XXXI.

## VULNERA CHRISTI *Nidus Divini Amoris.*

1. AScendens Christus in Arborem Crucis, aperuit in suis ramis nidos benevolentissimos vulnerum, ut *volucres Cœli* animæ à terra sublevatæ, *venirent, & habitarent in ramis ejus.* Nidi

beati, mansiones cæleſtes, factæ in uſum non terræ animalium, ſed volucrum Cœli. Alæ ſancti amoris ambite meum cor & *volabo* ad charos & nativos nidos, & *requieſcam*

2. Qui in amore facit progreſſum, *eſt quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis* lateris aperti ubi inſtar Salamandræ cœleſtis *Cibus ei ignis eſt.* Cibatur amore, paſcitur amore. Poſtula immutationem cordis. *Ieſu præbe mihi cor tuum.* O quanto aptius id meo pectori convenit! ſi in me foret, amaret te, quippe amore digniſſimum. Dum eſt in te, amat me odio digniſſimum.

3. Vive quaſi columba *non ſeducta, ſed reducta non habens cor.* Vive privatus corde proprio, hoc eſt humano & terreno. vive plenus corde Chriſti, corde Divino & Cœleſti. Felix mutatio, fortunata ſors. Verũtamen ſcito cor quod accipis, eſſe cor vulneratum, ut ad vitam ſimilem vulnerum, & Crucis te adaptes.

CON

## CONSIDERATIO XXXII.

# VVLNERA CHRISTI
## *Magnes Cordium.*

1. SI amori vis attrahendi ineſt, magnes eſt amoris amor. Sacra vulnera, ceu vivi affectus & indices amoris, hac vi mirifica pollent mirificè. Ob id dicebat Chriſtus. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Cum pependero de ligno, virtus meorum vulnerum omnes ad ſe animas in funiculis amoris attrahet. Attrahet corda noſtra, ut ea inflammet: attrahet peccata, ut deſtruat; ærumnas, ut ſublevet.

2. Sacra vulnera non attrahunt ſolum, ſed etiam rapiunt. *Charitas enim Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant:*

*vivant : sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Vrgent & vim afferunt vulnera, & mors Christi. Et si Christus pro omnibus mortuus est ; justum est, ut omnes sibi moriantur & Christo soli vivant ; *sibi deficere, & in solo Christo proficere.*

3. Vim attrahendi vulnerum plurimum experti sunt viri sancti ita enim illis uniebantur, ut nihil aliud cogitarent, aut nossent, præter vulnera Christi. S. Ægidius Dominicanus totus absorbebatur animo in vulnera. atque ut B. Ægidius Franciscanus ad nudum paradisi nomen in ecstasin ibat, sic isti ad nomen vulnerum.

## CONSIDERATIO XXXIII

## VVLNERA CHRISTI

### *Nubes fæcundæ.*

1. F*Rumentum desiderat nubes.* Descende copiosa pluvia sanguinis

guinis è nubibus fæcundis vulnerum Christi, & germinabunt in terra nostra fructus vitæ. Pretiosa pluvia, ad te suspirat terra animæ nostræ, riga corda nostra cælestibus tuis liquoribus.

2. Super omnia frumentum electorum, panis Angelorum *desiderat nubes.* Nascitur, crescit, conservatur pluviâ hujus sanguinis, memoriâ horum vulnerum.

3. Quisquis ambit esse frumentum Christi, *& illius panis mundus inveniri : desideret nubes*, purgando se, & eluendo in sanguine vulnerum.

## CONSIDERATIO XXXIV.

## VVLNERA CHRISTI
*Sol Ecclesiæ.*

1. SOl, ut docet S. Thomas, *est fons splendoris, & causa generationis.* Pari modo Sancta vulne-

vulnera illuminant nobis intellectum, accendunt affectum, & generant virtutes, & sanctitatem in anima.

2. Omnes creaturæ, juxta eundem, *comparantur ad Deum, sicut radii ad Solem*: Quia sicut radii, qui procedunt à Sole, ejus lucem manifestant, sed imperfectè, eo quod sint diversæ naturæ: sic omnes creaturæ laudem reddunt Deo, sed imperfecte; eo quod sint conditionis diversæ, & naturæ Deo inferioris. At vulnera Christi ante Deum comparent, & ejus gloriam perfectè manifestant, velut totidem soles ejusdem cum Deo naturæ, velut *lumen de lumine*. Quatuor sunt opera de manu Dei perfecta. Opus naturæ, gratiæ, gloriæ, unionis hypostaticæ. Tria priora parca manu Deum manifestant, sunt enim lumina radiorum: Vltimum adæquatè manifestat, quia est lumen de lumine Solis. O vulnera solaria, quæ conti-

ontinetis veram lucem, & verum
umen manifestatis! dispellite no-
tras tenebras, illuminate nos vestra
uce: ut vobis velut radii uniti, vir-
ute luminis vestri nos præsentemus
rimæ luci.

3. Qui ad lumen solis ambulat,
non offendit pede. quisquis ad lu-
nen horum vulnerum graditur, er-
are non potest, judicatque secun-
lum veritatem rerum, & non se-
undum apparentiam. Quoties du-
itaveris, ingredere cum Moyse in
abernaculum, in hæc vulnera, &
eritas te illuminabit.

## ONSIDERATIO XXXV.

## VLNERA CHRISTI

### *Victoria de nostris inimicis.*

. Efficacissimum contra omnes
tentationes remedium est
nemoria vulnerum Christi; *In
mnibus adversitatibus*, inquit

 Augusti-

Augustinus, *non inveni tam effi cax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* Istic tanquam in turri fortissima, & securissima tutissimum anima refugium adversu omnes inimici insultus invenie Vincit anima, ait idem, *intrando i turrim* humanitatis Christi per sanctissima vulnera, velut totiden portas. Ingreditur autem *recordando Christum & cogitando quana patitur, quia prior ille passus est, & ad hunc finem ut moreretur & resurgeret. Et talem tu finem spera, qualis in illo præcessit.* Et sic securus i hac turri habitabis, ut *nunquam ad illam turrim diabolica jacul secutura sint, ubi stabis munitus & fixus.* In praxi itaque, cum te tentatum aut afflictum senseris, mo ad Christi vulnera recurre, cogitando quomodo Christus passus si prior te, plus te, & purè propte te; propter tua scilicet peccata, &

no

non ſua, & dices cum ſancto latrone, *Nos quidem juſte. nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali fecit.*

2. Vſque adeo efficax eſt hæc memoria vulnerum Chriſti, ut non ſolùm nos victores pro Chriſto, ſed etiam cum Chriſto faciat. *Exſpolians*, inquit Apoſtolus, *Principatus & poteſtates, triumphavit in ſeipſo.* S. Thomas cum aliis legit, *Exuens ſe carne, id eſt mortalitate, exemplavit in ſe ipſo.* Siquidem ipſius triumphus fuit nobis noſtri exemplum. & hoc eſt, triumphare exemplando. Triumphavit Chriſtus, & occidit inimicos ſe ipſum morti tradendo: & illi ipſi clavi, inquit Leo Papa, qui transfixerunt manus & pedes Chriſti, transfixerunt Satanam. *Clavi, qui manus Domini pedeſque transfixerunt, perpetuis diabolum fixere vulneribus; ſic ſuam Chriſto conſummante victoriam, ut in ipſo omnes, qui in eum crederent,*

*triumpharent*. Ab hoc exemplo di
cemus superare nostros inimicos
quia instrumentum, quo nos da
mon subjugat, est caro nostra, &
nostræ inordinatæ passiones. Ide
has debellando, ille pariter debel
latur. Ob id dicebat S. Augustinus
*Ibi vincuntur invisibiles potestate*
*ubi vincuntur sensibiles cupiditate*
Eodem tendebat consilium S. P. N
*vince teipsum*, si tuos vis inimico
vincere.

3. In vulneribus Christi conti
nentur antidota virtutum, vitiis &
peccatis opposita. *In vulneribu*
*Salvatoris*, inquit Augustinus, *e*
*multitudo dulcedinis*, *plenitudo gr*
*tiæ*, *& perfectio virtutum*. Istic d
vinam Majestatem obsecra, ut su
humilitate tuam superbiam vinca
& te verè humilem faciat; sua ob
dientia superet tuam inobedienti
& vera te obedientia decoret; p
tientia sua extinguat tuam imp
tientiam, & te vera patientia hon
re

et : charitate ſuâ abluat tuam ini-
uitatem, & vera te charitate inſi-
gniat : Denique ſuâ perſeverantia
lidat tuam inconſtantiam, & coro-
net perſeverantia, quam mors tu-
mulo, aut veriùs cœlo inferat. Hu-
militas Chriſti ceu inſtrumentum
divinitati conjunctum eſt cauſa uni-
verſalis omnis gratiæ & perfectio-
nis : ad hunc autem, vel illum effe-
ctum determinatur particulari con-
ditione : Ita ut qua humilis, ſit tuæ
humilitatis cauſa ; qua obediens,
obedientiæ ; qua vulneratus & cru-
cifixus, medio ſanguine & ſtigma-
te, eſt cauſa remiſſionis tuorum
peccatorum.

## CONSIDERATIO XXXVI.

## VVLNERA CHRISTI

### *Materia veri Gaudii.*

I. MAteria veri gaudii ſunt vulnera Chriſti, nobis per

imitationem applicata. *Nemo mih*
*moleſtus ſit*, clamabat Apoſtolus
nemo ſit, qui me turbet, aut mean
impediat conſolationem, quia *ſti*
*gmata Domini mei in corpore me*
*porto* mediantibus flagellis, mor
tificationibus, & afflictionibus per
peſſis, & ſupportatis amore ejuſ
dem Chriſti.

2. Ad eandem nos lætitiam in
vitat S. Petrus, cum dicit. *Chari*
*ſimi, communicantes Chriſti paſſio*
*nibus, gaudete.* gaudete, cum in
partem vulnerum Chriſti venitis
*ut in revelatione gloriæ ejus gaudea*
*tis exultantes.* tum ſcilicet, cum
in gloria ſuæ divinitatis apparue
rit. Subnectit cauſam: *Quoniam*
*quod eſt honoris, gloriæ, & virtu*
*tis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſu*
*per vos requieſcit.* Per hanc nim
rum participationem digni fac
eſtis omni gloria, honore, & don
Spiritus ſancti, quæ pro meritis vu
nerum Chriſti debentur.

3. Du

3. Duo ſunt genera lætitiæ *in ſpi-ritu ſancto* ſecundùm D. Bernar-dum, *de malorum præſentium tole-rantia*, & *de memoria futurorum bonorum. de præſenti* lætemur in vul-neribus Chriſti doloroſis; *de futu-ro*, in iiſdem glorioſis. In hunc ſen-ſum explicat S. Bernardus verba Apoſtoli, *Gaudete in Domino ſem-per; iterum dico gaudete; modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim prope eſt. Modeſtia eſt patientia in adverſis. Et Dominus prope eſt in gloria.*

## CONSIDERATIO XXXVII.

## VULNERA CHRISTI *Vinum cum Lacte.*

1. NUtrimentum animæ, quod ut viaticum in peregrina-tione hujus vitæ homines ſuſtentat, eſt ſanguis Chriſti, & Lac Mariæ. Ille, ut cibus, reſtaurat: Hoc, ut

potus, recreat. Ille ad patiendum exhortatur, iſtud ad ſufferendum. Ille vitam tribuit, hoc impetrat. *Accurre anima* ex conſilio S. Anſelmi, *ad ſacra vulnera, & ſuaviſſimas illas guttas lambe; Accurre*, cum Auguſtino, *ad ſacrum pectus Mariæ, & lac dulciſſimum ſuge.* Et cum eodem dic. *Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab ubere; poſitus in medio, quo me vertam, neſcio.*

2. Chriſtus in cruce moriens voluit, *ut juxta crucem* aſſiſteret Mater; non aliam ob cauſam, quam ut mirabili unione conjungeret ſanguinem Chriſti, & lac virgineum & ut utrumque concurreret ad noſtram redemptionem. Atque ut ſanguis Chriſti ſuum principium virgineo lacti debet, ſic voluit ut idem adjuvaret ad noſtram ſalutem. Hanc ob cauſam dicebat S. Bonaventura, non ſolum procurabo *convulnerari vulneribus, ſed etiam uberibus ablactari, & miſcebo lac matris cum*

*m sanguine Filii, & mihi faciam*
*am dulcissimam potionem.*

3. Qui ex devotione erga vul-
ra fructum capere intendit, ei
iat devotionem erga D. Virgi-
m, & cum sponsa dicat. *Bibam*
*num meum, hoc est sanguinem*
*eum cum lacte meo.* B. Hermannus
ermanus Dominicanus, mirabi-
er conjunxit has duas devotio-
s, & ex utrisque admirandos ef-
ctus experiebatur. Crebriùs inar-
scens erga divina vulnera hac
atione astra feriebat. *Adoramus*
*Christe, & benedicimus tibi: quia*
*r sanctam Crucem tuam redemisti*
*undum.* Orationem terminabat
titione Dominica. Ad Virginem
rò conversus contemplabatur
rtutes, quas illa in passione Filii
ercuit, quam salutatione Angeli-
concludebat.

CON-

## CONSIDERATIO XXXVIII

# VVLNERA CHRIST

## *Manifesta & occulta Lux.*

1. I*N manibus abſcondit lucem, e præcipit ei, ut iterum advenia* Iob. 36. Claudit, & aperit nob le lumen vulnerum in ſuis man bus Chriſtus. Beatus ille, cui re ſerantur. Infelix, cui obſerantu Illi unà reſerantur Cœli, huic un obſeratur paradiſus.

2. *Annunciant de ea amico ſu quæ poſſeſſio ejus ſit, ut ad eam po ſit aſcendere.* Revelat Deus amic ſuis; quod in illis vulneribus ſ theſaurus noſter, & per gratiai ſuam nos ad illius fruitionem ii vitet.

3. *Et lumen illius ſuper termin terræ.* Pulchritudo illius lucis ext perat omnem terrenam pulchr tudinem. Ad illam aſpirent noſt

deſide

eſideria, in illa noſtra fixa ſint cor-
a. Cum illa ſecuri tranabimus hu-
us vitæ tenebras.

## CONSIDERATIO XXXIX.

# VLNERA CHRISTI
## *Spiraculum Amoris.*

1. TAntum erat incendium Divini amoris, quod ſcintillaat in pectore Chriſti, *ſine menſu-*
*, ſine modo ſupereminens univer-*
, ut neceſſe fuerit pro ſpiraculo,
aperire ſpiracula vulnerum. ut
ri amat in fornacibus vehemen-
us ſuccenſis.

2. Tenebatur ſanguis Chriſti
m quadam violentia concluſus
tra venas: tantum erat deſiderium
odeundi in remedium. *Et quomo-*
*coarctabatur* Cor Chriſti, uſque
m illud perficeret?

3. Hanc ob cauſam Chriſtus
ebro, & cum voluptate differebat
de

de ſua paſſione, vulneribus, & mor-
te. Ideo Petrum paſſionem non ap-
probantem vocavit ſatanam; Iu-
dam verò amicum, quia eam ſtr-
nuè procurabat. Idem paſſione
ſuam vocavit honorem, & gloria
ſuam. *Pater, venit hora, clarifica f-
lium tuum.* Quod ſi tempore mo-
tis triſtitiam præ ſe tulit, id fuit *n*
*tam metu mortis, quam mora noſt*
*Redemptionis.*

## CONSIDERATIO XL.

## VVLNERA CHRIST

### *Incentivum Martyrii.*

I. CItra ſanguinem non licet *Verbum accedere.* Cruore
ſperſum adamant oculi incarn
Numinis. Sanguis ejus poſtulat ſ
guinem, vulnera, cicatrices. *Eſt ſpo*
*ſus ſanguinis*, non ſolum nos ſ
guine redemit, & ſanguine ſub
rhavit; ſed vult etiam nos ſpo

ſanguinis ; neque cum alia in
ſponſalibus depoſtulat nos ve-
, quam *cum veſte aſperſa ſan-*
*ne.*

2. Sunt vulnera Chriſti veluti
idem ignitabula , quibus petra
rdis noſtri affricta accenditur in
ideria martyrii. Benedicta vul-
ra , ferite brachio contento , &
n efficaciter cor meum , tantum-
e in me martyrii amorem ſuc-
ndite , ut abundantior mihi do-
ſit caruiſſe martyrio ; & abſen-
m carnificis ſuppleat torquendo
iderium.

3. His agebatur ſtimulis & in-
ndiis Pauli pectus , cum dicebat,
*aritas Chriſti urget nos.* Illa ni-
rum Charitas oſtenſa in vulne-
us, qua urgemur, ut ſi *unus mor-*
*us eſt pro nobis* , libenter commo-
mur.

## CONSIDERATIO XLI.

## VVLNERA CHRIST

### *Forma Martyrii.*

1. CHristus per passionem suam & vulnera non solùm fu martyr, sed etiam *Martyrum Re: & forma Martyrii*: acceptando ill libentissime respectu proximi, seve rissimè respectu sui, obedientissim respectu Dei.

2. *Inspice & fac*: Cura, ut imit ris hanc ideam in severitate patien di pro te, in benignitate compatien di proximo, & in charitate ob diendi Deo.

3. Hanc formam, & ideam si spiciebant S. Martyres, & *non sen tiebant sua vulnera, dum sui duc vulnera intuebantur*. In hoc omn consistit perfectio, assimilari, & fo mam induere ideæ nostræ.

## CONSIDERATIO XLII.

# VLNERA CHRISTI

## *Idea Martyrum.*

. QVamvis Martyrum martyria *exemplaria ſint converſionis glorioſè ſanctificata* : attamen eſumpta ſunt, ab anteriori exemlari, & prototypo omnis martyrii hriſto. *Paſſus eſt pro nobis, vobis linquens exemplum, ut ſequamini eſtigia ejus.*

2. Chriſtus nobis in Exemplum *ivari voluit delectatione Deitatis, t ſaginari voluptate patientiæ.* Seoſuit gaudia Cœli, & in prædam dedit tormentis, & doloribus ulnerum. Hoc exemplar intuen Martyres ſua tormenta delicias putant, & in ſuis afflictionibus quiem adinveniunt.

3. Idipſum exemplar intuebatur irgo Regina Martyrum, *quan-*

*do stabat juxta Crucem, & late vulnus contemplabatur attentè, i grediebatur per manuum pedumq foramina. Egrediebatur ad singi corporis membra, & ubique mœro inveniebat pascua. Clarissimum p. sionis Christi speculum effectum er Cor virginis: & sicut cæteros præcel bat gratia, sanctitate, & merit ita dolore, cruciatu, & pœna.*

## CONSIDERATIO XLIII

## VVLNERA CHRIST

### *Fortitudo Martyrum.*

1. HÆc fortitudo acquiritur s cundùm S. Bernardum devota, & continua meditatio vulnerum Salvatoris. *Inde tolera tia Martyrii provenit, quod in Chi sti vulneribus tota devotione vers tur, & jugi conversatione demoretu* Et addit causam. *quia non mirum si exul à corpore dolores non senti*

*co.*

*rporis.* neque tamen ob id reddi-
ır insensibilis. quare sequitur, *Sub-*
*ittitur enim sensus, non amittitur.*
*ec deest dolor, sed superatur, sed con-*
*mnitur ; & non facit hoc stupor,*
*d amor.* O felix transitus à vul-
eribus corporis proprii ad vulne-
a corporis Christi, à corpore mor-
s ad corpus veræ vitæ. Si in se-
ıetipso habitaret Martyr, *ferrum*
*ofecto sentiret, succumberet, nega-*
*et.* at verò commorando in cor-
ore, & vulneribus Christi non pa-
et ferrum, dolorem nescit, & in-
ictus persistit *in voce fortissima con-*
*ssionis.*

2. Nequit virtus fortitudinis su-
erare timorem mortis, nisi intel-
ectus per fidem illuminatus vege-
et, & solidet voluntatem aliqua
fficaci ratione, inter quas efficacis-
mum est exemplum Christi, *qui*
*roposito sibi gaudio sustinuit crucem.*

3. Considera in Christi vulneri-
us ejus fortitudinem *in aggredien-*

*do, tolerando, ſubjugando ſe in cruc* ut S. inquit Bonaventura. Han fortitudinem imitabere *aggredien do*, *& tolerando omnia* triſtia, & acerba, & ſubjugando omnem ani mi tui appetitum.

## CONSIDERATIO XLIV.

## VVLNERA CHRIST

## *Confortatio Martyrum.*

1. ACcipit Martyr à vulneribu Chriſti *Exemplum*, *& adju torium.* modicum *ſine adminicul proficeret exemplum. Ab ipſis in ſtruitur, ab ipſis provehitur.* S. Lau Iuſtin. Dein ſubdit. *Cujus ſaxeun pectus non emolliant vulnera Salva toris? & quis pati renuat patient Domino?*

2. Ad debellandas paſſiones no ſtras, nihil opportunius paſſion Chriſti. *Paſſio Paſſione vincitur & cruciatus cruciatibus ſuperatur* nan

am *dolorem ſervi dolor lenit Do-ini.*

3. Ex theſauro vulnerum Chri-i ditata martyris anima ſuperat, : vincit promiſſa, & minas Tyran-orum. *Imprædabilem intus poſſidet heſaurum, Chriſtum Dominum re-nditum habet in pectore, propter uod inſenſibilis eſſe conſpicitur ex-rius, & conſideratio tam præcipuæ, mque vehementiſſimæ charitatis inctas ſuaviſicat paſſiones, & omne viſicat tentationis pondus.*

## CONSIDERATIO XLV.

# VLNERA CHRISTI

## *Privilegium Martyrum.*

QVod martyribus remitta-tur & culpa, & pœna tam terna, quam temporalis, ſacrorum ılnerum munus eſt. Martyrio nim id privilegium ideo datur, uia eſt quædam imitatio, & repræ-

 ſen-

ſentatio vulnerum, & mortis Chr
ſti. Si enim Baptiſmo hæc prær
gativa conceſſa eſt, propterea quo
eſt repræſentatio mortis Chriſ
myſtica, & figurata: quanto id jur
potiori martyrio concedendum
quod eſt vera & realis repræſent
tio ejuſdem mortis.

2. Ab iiſdem vulneribus à Mar
tyre in martyrio repræſentatis pro
veniunt alia privilegia. Recip
Martyr donum fidei, fortitudinis
charitatis, & præmium laureola
de quo dictum in praxi martyrii.

3. Conſidera quanti momenti ſ
imitatio vulnerum Chriſti, quæ
nequiveris omnia, aliqua ſalten
imitare. Sique mors etiamnum for
midabilis eſt, imitare mortificatio
nes. Nam hæc eſt optima ad Mar
tyrium diſpoſitio, non fugere oc
curſantes patiendi occaſiones. ne
quiſquam ſperet ſe majora tolera
turum, ſi minutiorum impatien
eſt. Ita S.Laurentius Iuſtinianus, *Il*

*ıbſque redargutione congruit appetere ırdua, qui nihil negligit ſibi poſſibile. ;æterum qui ſpernit implere parva, nagna & difficilia quomodo conſummabit?*

## CONSIDERATIO XLVI.

## VVLNERA CHRISTI *Gaudium Martyrum.*

ı. LAureola Martyribus debita eſt gaudium animæ ex eo, quia eſt ſimilis vulneribus Chriſti. Gaudium de Chriſto eſt in Cœlo, *quia occiſus eſt in ſalutem hominis.* Gaudium de martyre erit, *quia occiſus eſt in obſequium Chriſti.*

2. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hoc potiſſimùm eluceſcit in martyribus, vulnera enim, quæ ipſos in terris dolore confecerunt, in Cœlo gaudio novo afficient.

3. Chriſtus per vulnera *fuit ſpeculum*

*culum patientiæ* in hac vita, & pe
eadem erit *præmium patientis* in al
tera. Quapropter Greg. Nazianze
nus ſic nos exhortatur: *Per paſſio
nes paſſionem imitemur: per ſangui
nem ſanguinem honoremus* in præ
ſenti vita, ut in futura non ultra *pe
paſſionem & ſanguinem*, ſed *per exul
tationem & gaudium* honorentur
& glorificentur vulnera, & mor
Chriſti.

## CONSIDERATIO XLVII.

## VVLNERA CHRIST

### *Gloria Martyrum.*

1. V*Idimus Ieſum per paſſionen
mortis gloria, & honore coro
natum.* Chriſtus eſt glorificatus
quia vulneratuś, atque ut vulner
fuere honoris & gloriæ in Chriſt
cauſa; Sic & in martyribus erunt
quo magis ad ſuum prototypon ac
ceſſerint.

2. Igno-

2. Ignominia vulnerum verti-ır in gloriam triumphi. *Et quiſ-ıis livorem, vel plagas pro honore leſtis Regis hic non ſuſceperit, in turo judicio miles glorioſus non ap-rebit.*

3. *Accipiet* S. Martyr, *Regnum coris* aurei diadematis, *Speciei* aureolæ, *de manu Domini*, illâ ſci-cet, quæ prius crudeli ferro tere-rata, & vulnerata fuit.

## CONSIDERATIO XLVIII.

# VLNERA CHRISTI

## *Omnium Sanctorum Gloria.*

SVnt vulnera Chriſti gloria ſanctorum, quia gloria eſt ef-ctus vulnerum, & ſuam ultimam erfectionem accipit à beata illo-ım viſione. Cum à Sole radii pro-ıicant, totus orbis gaudio adimple-ır. Radii divini luminis, qui à ulneribus prodeunt, illuminant

&

& gloriosam reddunt Civitate Dei.

2. Sunt animæ Sanctæ vi membra Christi, & Christi quide sacris stigmatibus insigniti. Qua si beatæ sunt ex propria gloria; be tiores sunt ex gloria capitis sui. Ci gite benedicta vulnera, cingite c put nostrum gloriâ, eademque membrorum corona.

3. Gloria Sanctorum vulne Christi, quia *unum Sanctorum m nus sine fine alleluja*, laudare & glo rificare Deum in vulneribus Chr sti, & vulnera Christi in Deo. *Be nedicta vos à Deo, qui fecit Cœlum & terram.* Benedicatur, laudetur & glorificetur in æternum.

## CONSIDERATIO XLIX.

## VLNERA CHRISTI
### *Gloria B. Virginis.*

H*Is plagatus sum in domo eo-*
*rum, qui diligebant me.* Si illi
ii non vulgari amore Christum
osecuti sunt, hæc illi vulnera im-
esserunt; B. Virgo, quæ palmam
amando Filio reportavit, prima
t vulnerum causa. Illa fuit, quæ
rnem & sanguinem subministra-
t. Illa, quæ se Patris & Filii vo-
ntati conformavit. Illa desidera-
t exaltationem, gloriam, & ho-
rem vulnerum.

2. Si desiderium Matrum est
oria filiorum, & gloria filiorum
dundat in gloriam Matrum; præ-
rea si inter matrem, & filium a-
or reciprocus reciprocam efficit
oriam: Vtique desiderium Mariæ
it gloria vulnerum, & gloria vul-

nerum gloria Mariæ. & amor reciprocus fecit esse honorem reciprocum.

3. Gloria Mariæ vulnera. vulnera fuere argumenta eviden divinitatis in Christo, testimoni quoq; fuere Maternitatis in Mat Chara & benedicta vulnera, q Christum demonstratis Deum, ejus Matrem veram Matrem De

CONSIDERATIO L.

# VVLNERA CHRIST

## *Gloria SS. Trinitatis.*

1. CHristus, secundum Apostolum Gloria adæquata, consummata SS. Trinitatis; manifestat Orbi æternam Dei pulchritudinem, in seipso per unionem hypostaticam, in proximis per vulnera.

2. O vulnera efficacissima! potentissima vulnera! Incogn

e

rat potentia Patris, ignota ſapien-ia Filii, abſcondita Spiritus San-ti bonitas. Vt in Cruce vulnera rotuberarunt, cœpit Deus ubique ognoſci, SS. Trinitas ubique ado-ari. Prædicatur in ſua potentia Pa-er, in ſapientia Filius, in bonitate piritus Sanctus. Eandem verita-em Creaturæ in animæ variis ſi-nis, & prodigiis confirmant.

3. O pacis donatrices plagæ! ô loriæ bajulæ! pacis in terra ho-inibus, gloriæ in altiſſimis Deo. Gloria Patri, gloria Filio, gloria piritui Sancto; verùm in vulneri-us, & de vulneribus Chriſti. Deus xcelſus, Deus ſublimis, Deus glo-ficatus; ſed in Chriſto vulne-ato.

## CONSIDERATIO LI.

# VVLNERA CHRIST

*Gloria Vniversi.*

1. QVemadmodum Christus nc
strам naturam assumens
cum ea sibi univit universum, quo
in ea continebatur: ita per vulnera
glorificando naturam humanam i
seipso, omnes in ea creaturas glori
ficavit.

2. Vulnera Christi gloria Mur
di. per vulnera purgatur à corru
ptione peccati, liberatur à servitu
te filiorum tenebrarum, renovatu
in novitate gloriæ filiorum lucis.

3. Vulnera Christi gloria crea
turarum. per illa ad suam pertin
gunt perfectionem, suum conse
quuntur finem, de mutatione tem
porum in æternitate solidantur.

## CONSIDERATIO LII.

## VVLNERA CHRISTI
### *Gloria omnis Gloriæ.*

GLoria Dei ſunt glorioſa lux ſolis, ornatus cœlorum, va-
ietas elementorum : veruntamen
loria gloriarum Dei ſunt vulnera
Chriſti. Illa adumbrant, hæc ma-
ifeſtant Deum.

2. Creaturæ ſunt radii divini
olis, vulnera ſunt ipſa lux. Illæ
nt lumen pedum, hæc faciei.

3. Glorioſa vulnera, per vos glo-
æ ſunt gloriæ, & è ſe emittunt
loriam, quam à vobis capiunt.
os eſtis, quæ glorificatis Deum,
 omnis ejus gloria eſt à vobis,
ut per vos.

# FASCICVLVS MYRRHÆ

sive Considerationes variæ

*Super*

# CHRISTVM VVLNERATVM.

## LIBER SECUNDUS.

### CONSIDERATIO I.

### CHRISTVS VVLNERATVS *Fundamentum Meritorum.*

1. Expende valorem gratiæ. Omnes vitæ præsentis ærumnæ, labores omnes absq; gratia nihil merentur, nihil adjumenti afferunt *ad vitam æternam.*

*Non sunt condignæ passiones hujus* *emporis ad futuram gloriam, quæ* *evelabitur in nobis.* Et addit S.Ber-
ıardus. *Non sunt condignæ ad præ-* *eritam culpam, quæ remittitur; ad* *ræsentem consolationem gratiæ, quæ* *mmittitur; ad futuram gloriam,* *uæ promittitur.* Ex opposito quæ-
unque minima actio unita gra-
iæ meretur vitam æternam. *Mo-* *ɪentaneum hoc, & leve tribula-* *ionis nostræ æternum gloriæ pondus* *ɔeratur in nobis.*

2. Hanc gratiam nobis per sua
ulnera Christus promeruit. *Di-* *ɪus es Domine, aperire librum, &* *lvere signacula ejus, quoniam occi-* *ʊs es.* Vulnera & mors fecerunt,
: dignus esses, qui aperires librum
ratiæ, & solveres vincula, quibus
nebatur. Duobus modis à vulneri-
ıs Christi meritum capiunt opera
ɔstra. Primum merendo & appli-
ındo nobis gratiam. Secundo com-
ıunicando nobis immediatè sua

merita infinita. Quibus si nostr
uniantur, non solum merentur *d*
*justitia, sed de omni rigore justitiæ.* E
Pater æternus, cum nobis præm
um persolvit, non solum respic
nostra merita, sed etiam Filii, &
illa ut his unita. Amor quoque De
in nos tendit, non tantum ut filio
adoptivos, sed etiam ut fratre
Christi filii sui naturalis, cum qu
(ut membra cum capite) idem co
pus conficimus. Gratiæ vobis,
Sanctissima vulnera, siquidem pe
vos, vobiscum, & in vobis sunt om
nes meæ divitiæ, omnia mea gra
tiæ & gloriæ merita. Dicamus cun
Apostolo. *Ex ipso, & per ipsum*
*& in ipso sunt omnia: ipsi gloria i*
*secula.* Omnia gratiæ bona sunt
Christo tripliciter. Primo *ex ips*
per vulnera, quæ nobis gratiam
merentur. Secundo *per ipsum* pe
gratiam, quam nobis meruit. Ter
tio *in ipso* per ejus merita commu
nicata, & unita nostris. *Ipsi glori*
*in*

*in seculæ.* In omnibus enim soli Christo laus, gloria, & honor debetur.

3. Procurando tibi merita propria. omnis tamen fiducia locanda in meritis vulnerum Christi. *Merita mea vulnera tua, Domine.* Tua merita mea sunt, in illis spero, in illis confido, in illis ego ex me pauperrimus, ditissimus sum. *Quidquid ex me mihi deest*, dicebat Augustinus, *usurpo mihi ex vulneribus Domini mei: quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Copiosa redemptio data est nobis, in vulneribus Iesu Christi Salvatoris nostri; magna multitudo dulcedinis; plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum.*

## CONSIDERATIO II.

## CHRISTVS VVLNERATV[S]
## *Liber vitæ.*

1. LIber vitæ, in quem prædesti[-]
nati ad gloriam inscript[i]
sunt, sunt vulnera Christi crucifix[i].
Quisquis in hoc libro repertus no[n]
fuerit, non introibit in regnum Bea[-]
torum. *Non intrabit in eam aliquo[d]*
*coinquinatum, aut abominatione[m]*
*faciens & mendacium; nisi qui scripi[i]*
*sunt in libro vitæ Agni.*

2. Inscribuntur in hunc librum
illi, quos Deus prævidet obtentu[-]
ros infallibiliter gloriam propte[r]
conformitatem, & participatione[m]
meritorum vulnerum Christi. E[t]
quamvis character hujus libri si[t]
delebilis, *Secundum præsentem ju[-]*
*stitiam*; cum gratia, quæ seme[l]
acquisita est, perdi possit: nihil[-]
ominus considerata *secundum De[i]*
*præ*

*præscientiam*, eſt indelebilis. Cognitio enim, qua prævidet Deus quod homo iſte ſalvabitur, infallibilis eſt, & non poteſt non adimpleri.

3. Præter librum vitæ, judicio B. Baſilii, ſupereſt liber mortis pro iis, qui nomina ſua terris imprimunt. *Recedentes à te, in terra ſcribentur.* Quapropter ſi ſcire aves utri libro tuum nomen illatum ſit, inſpice ubi cor tuum demoretur; ſi cogitatione & affectu Chriſti vulnera inhabitat, jam tuum nomen exaratum eſt in libro vitæ; at ſi terram ſapis, in libro mortis es.

## CONSIDERATIO III.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Deſiderium Animæ.*

1. NVnquam cervus ſitibundus ſic deſiderat fontes aquarum, ut juſtum eſt animam

juſti

justi aspirare, & anhelare ad fonte dulcissimos vulnerum Christi. *Domine, memoriale tuum in desider. animæ.* Omne desiderium anim. consistit in memoriali tuorum vulnerum. dicuntur *memoriale*, qui Christus ea in suo benedicto corpore ideo conservat, ut continuam nostri memoriam gerat.

2. Non sic concupisces intuen Christum circumdatum gloriâ in throno suæ Majestatis, ut in throno ignominiæ, & crucis vulneratum, & dices cum Propheta, *desideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum.* *Novissimus virorum*, hoc est abjectissimus & vilissimus. alii legunt *Cessatio virorum.* nam ejus commercium fugiebant. *Qui viderunt me foris, fugerunt à me. Et desitio virorum.* Nam erat ultimum quod sic, in quo potest homo vilis fieri, & si ulterius progrederetur, *desineret esse homo.* Virum dolorum, aut ut

it alii legunt, *Homo in plaga exi-*
*ens.* Multitudo aliorum vulne-
um, quæ corpus Chriſti operie-
ant, unum credebatur vulnus.

3. Animam juſti decet ſolo vul-
erum Chriſti deſiderio teneri.
ſtic enim unicum, & ſolum in-
enit remedium ſuarum ærumna-
um, in illis ſola gloriæ ſpes. *Du-*
*lici titulo* ajebat Bernardus, debe-
ir Chriſto gloria, *& titulo hære-*
*itario, & titulo meritorio.* idque
ieritò plagarum, *altero contentus,*
*terum nobis donavit.*

## CONSIDERATIO IV.

## HRISTVS VVLNERATVS

### *Fons æternæ Gloriæ.*

VIta & gloria æterna in tri-
bus conſiſtit actibus, *Viſione,*
*ruitione, & Tentione.* Viſionem
onſequimur merito vulneris la-
ris. 1 *Per apertionem lateris me-*

 *ruit*

*ruit Sanctis visionem apertam*, Bonaventura. A vulneribus n nuum provenit fruitio, *Delectat nes in dextera tua usque in fine* Vulnera denique pedum meren æternam tentionem, & perdurat nem in visione Dei. *Tenui eum,* *dimittam.*

2. Ab iisdem pendet gloria co poris. Lumen vulnerum illust bit corpora nostra agilitate, sub litate, claritate, & impassibilita virtute.

3. Ab iisdem pendent laureo Martyrum, Virginum, & Doct rum, in quantum sunt exemp fortitudinis, fons puritatis, Sch sapientiæ.

## CONSIDERATIO V.

## CHRISTVS VVLNERATVS

### *Regula noſtrorum affectuum.*

1. PEr meditationem vulnerum frænantur principes affectus amoris, & odii. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Quamobrem omnem tuum amorem locabis in Deo pro ſalute tua mortuo; & omne odium convertes contra peccatum, quod eſt cauſa mortis Chriſti, & tuæ damnationis.

2. Per eandem reguntur affectus doloris, & gaudii. Pabulum veri doloris ſunt ſola vulnera Chriſti. Ab iiſdem unis provenit vera lætitia.

3. Per vulnerum Chriſti memoriam purificantur affectus timoris, & ſpei. Verus timor eſt vereri,

ne ab illis excidamus: vera ſpes in troire, & in eis æternum conqui ſcere.

## CONSIDERATIO VI.

## CHRISTVS VVLNERATV

### *Pellicanus Amoris.*

1. ASſumit Chriſtus per os Pro phetæ David nomen & ſ militudinem Pellicani, *ſimilis fa ctus ſum Pellicano ſolitudinis.* Quem admodum hæc volucris propri roſtro ſibi pectus adaperit, ut ſu ſanguine vivificet, & reſuſcite pullos mortuos: ita Chriſtus reſe vavit quinque in ſuo corpore cana les, ut ſanguine inde profluent nos, qui peccato mortui eramu vitæ redderet. Amantiſſime Pellica ne, feri te, ut nos ſanes; mortem ex cipe, ut nos vitâ dones.

2. Pellicanus pullos ſuos non ſo lum ſuo ſanguine in vitam revo

ca

cat, sed etiam rostro suo exanimat. Idem secundum S. Augustinum nobiscum Christus facit. *Ego occidam, & ego vivificabo.* Occidit peccato, vivificat ad gratiam. *Occidit Paulum persecutorem, & excitavit Prædicatorem.* Hæc est vera vulnerum Christi operatio; *occidere, & vivificare.* Occidit ea, quæ ad sensus, & peccata inclinant; vivificat spiritum, & gratiam afferentia.

3. Est secundum eundem *Pellicanus solitudinis Christus, quia in solitudine natus, quia solus sic natus, scilicet de Virgine. In solitudine passus, quia solus sic passus.* Pendet hæc solitudo ab alia solitudine, quæ est amoris. Seposito enim omni proprio emolumento nostram spectavit salutem. Si itaque Christus est tibi verus solitudinis pellicanus, imitare ejus studium, & te illi ostende pellicanum, tuo sanguine delendo quidquid illum offendit, & promovendo ejus gloriam. Sis quo-

que verus erga proximum pellicanus, eximendo eum à statu peccati, & vivificando in statu gratiæ.

## CONSIDERATIO VII.

## CHRISTVS VVLNERATVS

### *Oblatio Divina.*

1. DIssidium, quod inter immensam Dei charitatem, & inexplicabilem nostram ingratitudinem intercedit, res nulla componere potest exceptis Christi vulneribus. hæc si in recompensationem divinorum beneficiorum, & pro satisfactione nostrorum peccatorum offerantur, nobis divinum vultum propitium reddunt. *Quid retribuam Domino pro omnibus beneficiis ejus? Vulnera Salvatoris. Quid retribuam Domino pro omnibus peccatis meis? Vulnera Redemptoris.*

2. Offeres Patri æterno vulne-

ra manuum, agendo gratias pro omnibus, quæ tui causa fecit; Filio vulnera pedum pro omnibus, quæ passus est amore tui; Spiritui sancto vulnus lateris in memoriam amoris, quo te est prosecutus. Eadem vulnera afferes in reconciliationem omnium eorum peccatorum, quæ manibus, pedibus, & corde patrasti.

3. Recensuit quondam Christus D. Gertrudi, quod semper nte Patrem stet, vulnera offerens n satisfactionem nostrarum culparum. Et quidem pro peccatis ordis hominum offerre se cor uum immaculatum; pro peccais operum vulnera manuum, & edum.

Per idem exercitium oblationis omparare possumus virtutes Chrii, ut ipsemet D. Mechtildem douit: *Offeras Patri meo cœlesti, vel nihi meam puritatem, & innoentiam pro tua impuritate; meam*

*humilitatem pro tua superbia; mea pietatem, & charitatem pro tua du ritiâ, & tepiditate; meam deniqu sanctissimam, perfectissimamque con versationem pro tua negligenti, & imperfecta vita.*

## CONSIDERATIO VIII.

## CHRISTVS VVLNERATVS

### *Hostia Pacifica.*

1. CVm devota quædam anim Deum precaretur ut se id quod homini summè foret utile, e doceret, responsum accepit; *Vtilis simum fore homines scire, & in me moria sæpius habere, quod ego Virgi nis filius, pro salute eorum adsto an te Deum Patrem, & cum ex human fragilitate delinquunt corde, offero pr eis cor meum immaculatum, & trans verberatum: & cum offendunt opere exhibeo manus meas perforatas, & sta tim innocentiâ meâ placo Patrem.*

2. Disce

2. Disce à Christo easdem facere oblationes Patri æterno pro tuis peccatis. In locum cordis tui omni iniquitate refertissimi, offer cor Christi infinitâ bonitate redundans. Pro manibus omni operum pravorum maculâ taminatissimis præsenta vulneratas illas Christi manus operatrices maximorum operum in gloriam æterni Patris.

3. Obsecrabis Sanctissimam Virginem, ut Lancea, quæ filii cor transivit, tuum cor purificet; & clavi, qui manus terebrarunt, tuas emundent, ut semper *sancta cogites, sancta opereris.*

## CONSIDERATIO IX.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Scopus Christianorum.*

1. CVm aliquando Sancta Lidwina tota in orationem, & sanctam meditationem Passionis, ac San-

Sanctissimorum vulnerum Redem-
ptoris immersa esset, vidit intro-
euntem in suum conclave magnam
Angelorum frequentiam ritu sup-
plicum ordinatam, & manibus Pas-
sionis instrumenta ferentem. Post
sequebatur Sanctissima Mater, cir-
cumdata Sanctorũ Choro; novissi-
mum agmen claudebat Christus to-
tus cruentus & saucius. *Totus rubi-
cundus & sanguinolentus, coronatu
spinea corona, & colore affectus, qu
solent mortui.* Ad aspectum tam in-
usitatum obstupuit Virgo Seraphi-
ca, interque lætitiæ, & tristitię vicis-
situdines, & insolita mentis lumina
& amoris flammas accepit à Do-
mino cicatricum signa. *Quinque
vulnerum suorum signa luculente
impressit, impressaque reliquit* Domi-
nus. Ortum ex tanto prodigio con-
cursum, & applausum verens castis-
sima Virgo impetravit à Domino
ut tantus Thesaurus ab humanis o-
culis submoveretur. *Mira res, confe-
stim*

*ſtim cutis texit vulnera illa, ſed dolor atque livor perpetuò remanſit.*

2. Ex hoc conſidera, quod finis, ſcopus, & perfectio Chriſtiani eſt, omnimodè transformari, & tranſmutari in Chriſtum Crucifixũ, participando de eadem paſſione, de iiſdem vulneribus, & de eadem morte cum Chriſto. Maxima gratiarum in hac vita eſt, iiſdem cum Chriſto clavis fixum in cruce pendere.

3. Quod ſi te Dominus aliqua tribulatione viſitaverit, *conjungere Domino, & ſuſtine.* Maximam in gratiis numera, potuiſſe aſſimulari Deo, eum in vulneribus & cruce imitando.

## CONSIDERATIO X.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Zelus Animarum.*

1. MEdium efficaciſſimum in nobis Zelum animarum ex-

excitandi est attenta, & devota consideratio vulnerum Christi. *Vulneratus est propter iniquitates nostras* ut nos ab eis liberet. Ea nihilominus pro Cœlo retinuit, ut eis Patrem Mundo reconciliet. Itaque si amas Christum vulneratum, cooperare ejus fini & scopo, salutemque animarum procura, postulando omnibus effectum sacrorum vulnerum.

2. Considera cum Augustino in vulneribus *dolorem, & amorem*; quantum pro qualibet animâ dolorem exhauserit, quantopere dilexerit. *Ad sustinendum* exemplo Christi, *pro salute animarum omnem dolorem, & contemnendum omnem alium amorem.*

3. Eadem consideratione Christus piam quandam animam roboravit. Apparuit ei in forma Crucifixi præferentis vulnera recentia, & sanguinem stillantia, dixitque, *En contemplare, charissima, ut vulnera*

*mea*

*nea clamant ad te*, ut te in salutem
nimarum impendas, *ne frustra san-*
*uinem fuderim, & sine causa mor-*
*em perpessus sim.* Eandem ob cau-
am priusquam Apostolos in Mun-
um ad prædicandum dimitteret,
*stendit eis manus & pedes*, ut ex
ulnerum conspectu eum fervorem
onciperent, qui Prædicatoribus ne-
essarius est.

## CONSIDERATIO XI.

## HRISTVS VVLNERATVS *Effugium in Iudicio.*

. VVlnera in tremendo judicio erunt ceu totidem linguæ
lminatrices. Surget in illa hora
hristus, & ostensis suis vulneribus
eccatores hisce vocibus compella-
it: *Ecce hominem, quem crucifixi-*
*is; videte vulnera, quæ inflixistis;*
*noscite latus, quod transfixistis,*
*uoniam per vos & propter vos aper-*

*tum est , nec tamen intrare voluistis.*

2. Quantum in malis erubescentiam generabunt vulnera Christi tantam in oppositum consolationem , & lætitiam justis afferent *Aspicient , quem confixerunt* suis peccatores sceleribus, *& aspicient , quem dilexerunt ex toto corde* Iusti. namque in vulneribus Christi reperient effugium , & robur : & Christus pro eis loquetur ; Verum est eos peccasse, verum in oppositum etiam est, quia superaverunt in his vulneribus. & quia pro suis delictis meam obtulerunt passionem , sequi purpura regali mei sanguinis vestiverunt ; digni facti sunt, qui in cælestem gloriam introirent.

3. S. Mectildem, in visu raptam in judicium, accusarunt Angeli sancti , & creaturæ omnes. Seraphini ob teporem in amando , Cherubini ob exilitatem sciendi , Throni incusabant defectum pacis, Apostoli exi-

xiguam doctrinæ ſuæ curam, Mar-
yres in fortitudine puſillam ma-
gnanimitatem, Beata Virgo in fi-
lelitate erga filium ſuum integrita-
em, creaturæ omnes in uſu ſui ab-
uſum. Inter hæc Chriſtus ad Me-
tildem verſus, eam bono eſſe ani-
no juſſit, & intentata crimina di-
uit. Ex quo illa animoſior facta ta-
em, ac tantum advocatum in bra-
chia ſumpſit, offerens ejus vulnera,
& inde manantem ſanguinem cum
neritis Paſſionis pro ſuis defecti-
bus. Et quidem humilitatem pro
ſua ſuperbia, charitatem pro ſua te-
piditate Hac itaq; oblatione ſatisfe-
cit judici, & judicii pœnas declina-
vit.

## CONSIDERATIO XII.

## CHRISTVS VVLNERATVS
### *Exemplum Virtutum.*

1. FIdei, Spei, & Charitatis exem-
plum eſt in vulneribus Chri-

 ſti,

sti, ut docet Bonaventura. *Est fundamentum fidei, erectio spei, inflammatio Charitatis.* Est fundamentum fidei, quia in illis Christus se demonstrat verum Deum, & verum hominem; ut dolorosis, verum hominem; ut gloriosis, verũ Deum. Est excitamentum spei ob pretium sanguinis. Est incendium amoris ob summum dolorem.

2. Eadem sunt exemplum quatuor virtutum cardinalium, Prudentiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, Iustitiæ. Prudentiæ, dum adscendit in arborem Crucis, ut ligno vitæ destrueret lignum mortis. Temperantiæ, non refigendo manus, sed clavis affixas tolerando. Iustitiæ satisfaciendo pro libertate manuum Adami sua conclavatione. Fortitudinis, inceptum opus Redemptionis non interrumpendo usque ad mortem.

3. In iisdem Sanctissimis vulneribus deprehenduntur in excellen-

tiſſimo gradu virtutes humilitatis, obedientiæ, patientiæ. Quæ major humilitas, quam pendere ceu principem in medio latronum? Quæ major obedientia, quam pro obedientia mori? quæ major patientia, quam bonum pro malo reddere, & orare pro iis, qui de facto in Crucem agebant, & ſubſannabant?

## CONSIDERATIO XIII.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Scala Cœli*.

1. REvelavit aliquando Deus S. Catharinæ, quod cum via ad Cœlum deſtructa eſſet, miſerit Filium in noſtra carne in terras, ut illâ inſtar pontis uteremur, & per vulnera ceu gradus ſcanderemus à terris in Cœlos. eos qui in mortali occumbunt, decidere ex hoc ponte, & præcipites in infernum ruere.

2. Per hos ſanctos gradus aſcen-

ditur pedibus potentiarum animæ, & passibus affectuum, & actuum virtutum fidei, spei, charitatis; credendo, sperando, amando hæc vulnera, ut potentissima, misericordissima, amoris plenissima, & gratias SS. Trinitati agendo ob tam efficax remedium in salutem nostram procuratum. Quo gratiarum genere utebatur S. Mectildis, hac utens à Deo sibi inspirata oratione. *O salutifera vulnera dulcissimi mei Iesu Christi, salvete, salvete, salvete in potentiâ Patris, qui vos dedit; in sapientiâ Filii, qui in vobis sustinuit; in benignitate Spiritus Sancti, qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit.* Obsecrabis Virginem beatam, ut hanc tantam gratiam tibi efficaciter impetret.

3. Nobilissima per hos gradus scandendi ratio est imitari. finis enim Sanctissimorum vulnerum *est redemptio simul & exemplum.* Quare optimè dicebat devotus Bernardus

d hanc imitationem aſpirans, *Nolo Domine vivere ſine vulnere, cum te video vulneratum.*

## CONSIDERATIO XIV.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Magiſter Sapientiæ.*

1. MAgiſter æternæ Sapientiæ Chriſtus Ieſus priuſquam diſcipulos ſuos per orbem Euangelii diſſeminandi cauſa diſpergeret, vulnera ſua oſtendit. *Oſtendit eis manus, & pedes, & latus. Sicut miſit me vivens Pater, ego mitto vos.* Docere illos voluit in qua ſchola & in quo ſtudii genere addiſcenda ſit ratio optima prædicandi, ingrediendo videlicet per meditationem in ſua vulnera.

2. Oſtendit eis vulnera, quia ut illa fuerunt lytrum ſufficiens pro redemptione hominum, ita ab iiſdem provenire debet efficacia

prædicationis. Ideo decet hæc vulnera eſſe & objectum, & ſubjectum prædicationis. *Prædicamus Chriſtum crucifixum* ad gloriam ejuſdem. A Cruce eruenda eſt Euangelico prædicatori omnis medulla, & vis ſuæ dictionis.

3. Vera Sapientia juxta Bernardum *eſt juſtitia in intentione, charitas in affectione, & humilitas in reputatione.* In Schola vulnerum Chriſti diſcitur rectitudo intentionis, puritas dilectionis, & vilis de ſua æſtimatione cogitatio.

## CONSIDERATIO XV.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Centrum Animæ.*

1. SI Deus eſt centrum animæ noſtræ, propterea quod *inquietum eſt cor noſtrum, donec perveniat ad te*; erunt pariter vulnera Chriſti centrum cordis. Nam ut S. Auguſtinus

tinus inquit, *ubi tuta quies, niſi in vulneribus Salvatoris?*

2. Eſt in centro attrahendi virtus. Trahunt & vulnera Chriſti. *Cum exaltatus fuero* in cruce, *traham omnia ad meipſum* per vulnera. *Trahite me* vulnera Sacratiſſima, ut in vobis quieſcam, tanquam in vero animæ meæ centro.

3. Inter documenta S. Mectildi Chriſto data fuit non poſtremum, ut in ſuis vulneribus tanquam in centro, aut portu ſecuriſſimo conquieſceret. Et deſideria quidem vulneribus pedum crederet, opera vero manui dexteræ iſtinc purificanda; afflictiones ſiniſtræ iſtinc velut melleo malagmate condiendas & temperandas; lateri amorem. ut, quemadmodum Chriſtus dicebat, cor tuum cum corde meo in unum ita coaleſcat, ut, ferrum cum igne, quo ignefactum eſt.

CON-

## CONSIDERATIO XVI.

## CHRISTVS VVLNERATV
## *Victoria Cordium.*

1. NEcesse est cor nostrum c
dere Amori vel Mundi
Carnis, Dæmonis; vel Christi. E
pende inter hos amores discrime
Mundus, caro, & dæmon nos sau
ciant vulnere lethifero, ut in æte
num in inferno viventes moriamu
Christus ferit vulnere vitæ in vita
æternam. Redde te amori Chr
sti, & pone Cor tuum ut scopu
sagittarum, quas vulnera illa am
ris plenissima, & ad omne cor d
bellandum potentissima ex se emi
tunt. *Sagittæ tuæ acutæ, populi su
te cadent in corda inimicorum Regi*
addit Græcus textus, *acutæ poten
tissimæ.* Sagittæ vulnerum tuoru
potentissimæ impulsu amoris pen
trabunt corda, & omnes gentes su
peratæ se tibi subjicient.

2. Di

2. Dicebat Ionathas Davidi; *ſi*
ixero *ſagittæ intra te ſunt*, Bene eſt.
*ax tibi eſt, & nihil eſt mali.* At ſi
xero, *Sagittæ ultra te ſunt*; Omen
ede inauſpicatum: Saulem habes
lverſarium. Si ſagittæ vulnerum
hriſti *intra te ſunt*, ſi fixæ, & fir-
iter radicatæ ſunt in corde tuo,
ne eſt. *Pax tibi eſt.* reconciliatus
Deo. at *ſi ultra te ſunt*, nec cordi
hærent, omen ſiniſtrum puta,
eum habes inimicum.

3. Beatum cor, quod palmam &
ctoriam Chriſto cedit. Beata ani-
a, de qua *victoriam canunt* victri-
a Chriſti vulnera. Si vulnera
hriſti jam in tuum cor introgreſ-
ſunt, fac ut ſemper ea conſerves,
c ſinas à te recedere. Apparuit
iquando Chriſtus S. Mectildi, &
xit. Sepeli intra tuum cor me, &
ulnera mea, eritque cor argenteum
ıbens operculum aureum in ſi-
ıum puritatis, & charitatis.

## CONSIDERATIO XVI

## CHRISTVS VVLNERATV
### *Sacerdos Æternus.*

1. TRibus modis considerari potest Sacerdotium Christi, i Cruce, in Cœna, in Cœlo. In Cruce obtulit sacrificium cruentum quod cum morte terminatum est. I cœna dedit sacrificium incruentum quod cum seculi transitu transibit In Cœlo est sacrificium consummatum quantum ad effectum gloriæ, & durabit in æternum.

2. Considera quomodo Christu ad dexteram Patris *sempiternum habet sacerdotium, semper vivens a interpellandum pro nobis.* Duobu autem modis intercedit pro nobis Primò *repræsentando Patri naturam humanam cicatricibus signatam, & ita sua merita allegantem & sanctissima animæ suæ desiderium exprimen-*

*nentem*. Exercet officium veri Sa-
erdotis mediator inter Deum &
opulum duobus modis : primo re-
ræſentando Sanctiſſima vulnera ;
ecundo orando Patrem pro nobis,
t quondam in terris orabat : cum
ac tamen differentia, quod oratio
Christi in terris & impetrabat, &
nerebatur : in Cœlis impetrat, non
neretur. impetrat autem vi meri-
orum in terris acquiſitorum.

Non ſolum orat Chriſtus pro no-
is, ſed etiam ut docet S. Auguſti-
us, *orat in nobis*, *& oratur à nobis.*
*Orat pro nobis, ut Sacerdos: orat in*
*obis, ut caput noſtrum ; & oratur à*
*obis*, *ut* Deus. Oremus ad illum,
er illum, in illo.

3. Omnis noſtra fiducia locetur
n oratione noſtri Sacerdotis, &
Advocati. *Ipſe ſit vox noſtra, per*
*quam loquamur ad Patrem.* Offera-
nus orationes Christi, proponamus
Deo vulnera Christi. *Ipſe ſemper*
*agit cauſam noſtram apud Patrem,*

*& ejus postulatio contemni non potest, quia in dextra Dei sedet.* **Exauditur** *pro reverentia sua*, quæ ejus personæ debetur, *& pro justitia*, quæ debetur ejus vulneribus, *& pro præmio & mercede*, quæ ejus debetur obedientiæ.

## CONSIDERATIO XVIII.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Chirographum Amoris.*

1. EXpende magnitudinem amoris Christi, namque ut assidue tui meminisset, descripsit te in manibus suis non alio atramento, quam suo Sanguine; non alio calamo, nisi clavis; in charta propriæ carnis, characteribus vulnerum. Ita per Isaiam ipse prædixerat, *In manibus meis descripsi te* per vulnera in memoriale sempiternum.

2. In hac scriptura spem salutis suæ locabat S. Augustinus, itaque

que Dominum obſecrabat, *Lege Domine ſcripturam hanc*, *& ſalva me.* Lege in manibus tuis quanto pretio animam meam redemeris: non ſine, ut res ſic à te appretiata pereat.

3. Si Chriſtus animam tuam in corde ſuo, & ſuis manibus ſculpſit, æquiſſimum eſt, ut & tu in corde tuo impreſſa geras ſacra vulnera per amorem, & in corpore per condolentiam, & ſufferentiam dolorum.

## CONSIDERATIO XIX.

### CHRISTVS VVLNERATVS *Lætitia Angelorum.*

1. SVmmo cum gaudio, & lætitia infinita contemplantur S. Angeli ſacra Chriſti vulnera, agnoſcentes in eis cauſam omnis ſuæ gratiæ & gloriæ. *Ipſum ſcilicet Chriſtum;* inquit Apoſtolus, *dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Chriſtus in

quantum homo conſtitutus eſt à Patre caput univerſale Eccleſiæ tam triumphantis, quam militantis, idemque ſic meruit bona ſupernaturalia cum hominibus, cum Angelis.

2. In principio ipſorum creationis, quando revelatum fuit eis myſterium Incarnationis & Paſſionis Chriſti; præviderunt in ſpiritu vulnera Chriſti, quæ inter incredibilia jubila & plauſus ſumma cum humilitate adorarunt. *Cum iterum introducit primogenitum in Orbem terrarum dicit; Adorent eum omnes Angeli ejus.* Bis juſſi ſunt adorare Chriſtum, & ejus vulnera; in creatione, & *iterum* in Incarnatione & Paſſione. Si Abraham hoc myſterium in Spiritu *prævidit*; *& gaviſus eſt*; quanto magis Angeli.

3. Recreantur inſuper Angeli aſpectu vulnerum Chriſti, quia per ea inſtaurantur ipſorum ruinæ. Ideo *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in*

*in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Omnes ſunt providi diſpenſatores meritorum, & Sanguinis è Vulneribus Christi promanantis.

## CONSIDERATIO XX.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Sacrificium verax.*

1. VErum & proprium ſacrificium, quo Deus placatur, eſt ſacrificium vulnerum. & ſacrificia vetera diverſorum animalium ex eo ſolum grata erant, quia ſignificabant & repræſentabant hæc vulnera. Ita ipſe per os Davidis clamat: *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perforaſti mihi.* Reſpuiſti ſacrificia animalium, & acceptaſti meum Corpus vulneribus perforatum.

2. Hoc ſacrificium eſt ſimul holocauſtum, hoſtia pacifica, & ſacri-

ficium pro peccato. Quia illo laudamus Deum, Deo pro beneficiis gratias agimus, & pro peccatis satisfacimus.

3. Præceperat Deus in lege veteri, ut sibi in Sacrificium offerretur agnus occidendus & comburendus. Hic agnus est Christus habens vulnera mortis Symbola, & totus ardens igne Charitatis, atque sacrificium perpetuum, quia per omnem æternitatem stabit ante Patrem, eum afficiens gloria & honore *in odorem suavitatis.*

## CONSIDERATIO XXI.

## CHRISTUS VULNERATUS *Incentivum Charitatis.*

1. Ex solo sanctissimorum vulnerum aspectu sentit se anima accendi, & inflammari charitate Dei. *Patent viscera per vulnera, patet arcanum cordis per foramina corpo-*

*corporis.* Tanto major erit ardor, quanto attentius ea contemplata fuerit; juxta consilium S. Pauli, penetrando quanta ſit longitudo, latitudo, profunditas, & ſublimitas vulnerum. *In charitate radicati & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum.* Illæ enim manus vulneratæ occludunt nobis infernum, & reſerant Cœlum per omnem æternitatem.

2. *Ignem veni mittere in terram.* Venit Dominus ad accendendum, & inflammandum Mundum igne divini amoris: & hic ignis prodiit ex quinque fornacibus accenſis, quæ ſunt divina vulnera. Qui vultis ab hoc igne accendi, *accedite* ad divina vulnera, *& inflammamini.*

3. Viro eximiæ ſanctitatis inter precandum medium efficaciſſimum pro excitando in ſe amore divino flagitanti reſpondit Chriſtus, ut ſe in conſideratione ſuæ Humanitatis

vulneratæ, & in Paſſione ſauciatæ exerceret. Siquidem in illa mirum in modum reſplendet charitas Dei. *Exerce te in humanitate mea paſſionata & vulnerata, nam in ea maximè lucet mea charitas non aliter, quam Sol in ſuo ſplendore, roſa rutilans in ſuo odore, ignis vehemens in ſuo fragranti æſtu, & ardore.*

## CONSIDERATIO XXII.

## CHRISTVS VVLNERATVS

### *In Adverſis Confortatio.*

1. NVlla in Orbe tam vehemens reperitur amaritudo, quam conſideratio vulnerum Chriſti non mutet in dulcorem. Ipſa quoque conſolatio interna, quam cauſant vulnera Chriſti, tantarum eſt virium, ut ſuperet & dolore exarmet externam mortificationem. Ideo, ut D. Bernardus ait, voluit Chriſtus *oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut exemplo*

*emplo ſui reddat ad tolerandum fortiores. non enim ſentit ſua vulnera miles, qui ſui Ducis vulnera intuetur.*

2. Accipe conſilium Spiritus Sancti. *Abſcondere in foſſa humo à facie furoris Domini.* Tempore tribulationis, quæ tibi provenit vel à Deo, vel ab hominibus, abde te intra cavernam lateris Domini, & illam non ſenties.

3. Cum quædam perſona vehementer afflicta eſſet, hanc audivit vocem: *Surge & cogita vulnera mea.* Fecit, & ſe conſolatam mox invenit. Alius qui à Religione ad ſeculum revertebatur, à Chriſto his vocibus in propoſito confirmatus eſt: *Omne aſperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce.* Tribulatio, inquiebat S. Catharina, ſimilis ſit duro pani, qui in Chriſti ſanguine intingendus eſt.

CON-

## CONSIDERATIO XXIII.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Favus cum Melle.*

1. GVstatur favus cum melle in vulneribus Christi, favus humanitatis cum melle Divinitatis, ut S. Thomas explicat. *Favus* inquit Origenes, *est cera virginea cellulis distincta, melle repleta.* Humanitas Christi est caro virginalis è Matre Virgine elaborata, & adornata cellulis vulnerum, redundans melle dulcissimo Divinitatis.

2. Considera, quemadmodum origo, & fons primus dulcedinis est Deus in seipso. Verba illa sapientiæ, *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filio habes, ostendebat:* legit Nazianzenus, *Substantia mea dulcedo mea est.* Natura mea, inquit Deus, est ipsa dulcedo per essentiam. quapropter est dulcedo infinita absque

que termino, & menſura. Hæc ſuavitas infinita Dei, & dulcedo *in abſtracto* tota communicatur, & interna fit vulneribus Chriſti, penetratque illam carnem, & illum ſanguinem; ut mel favo imminiſſum, & amplius. *Favus eſt receptaculum mellis,* inquit Hugo, *&. eſt dulcis propter me.* Chriſti quoque vulnera ſunt receptaculum, & vaſa repleta Divinitate; cujus ſuavitate & dulcedine dulciſſima ſunt, & ſuaviſſima.

3. Ad ſacros hos favos mellis, *ad melliflua vulnera Salvatoris* invitaris anima Chriſtiana: ingredere in ſacras illas cellas, in quibus tuam te occupationem docebit Auguſtinus. *Suge, ô apicula, ſuge, ſuge, & bibe dulcoris ſui inenarrabilem ſuavitatem, immergere, & replere, ſume, & fruere.* Doceat te apicula, quæ ſe intra ſuam cellam concludit, & in mel immergit: abdere in ſacris vulneribus, & ibi guſta dulcedinem Cœli. *Suge*, cum Auguſtino,

gustino, *quod pro te factum est; & cresces ad id, quod est.*

## CONSIDERATIO XXIV.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Triumphus Amoris.*

1. QVatuor sunt gradus perfectæ charitatis, *vulnerare, ligare, afferre languorem, & defectum inducere.* Primò, *Anima sauciatur in affectione, vulnerata charitate ego sum.* Secundò, *ligatur in cogitatione,* dum nihil aliud, quam de re amata cogitare potest, *& trahitur in vinculis charitatis.* Tertiò, *languet in operatione*, quia non potest se occupare circa creaturas, ad unum intenta Creatorem. Quartò, *deficit per desiderium dissolvendi, & esse cum Christo. Defecit in salutare tuum anima mea.*

2. Atque hi omnes sunt effectus vulnerum Christi; feriunt, ligant, enervant,

enervant, occidunt. Primò feriunt. *Novit Dominus sagittare ad amorem* per vulnera sua, quæ feriendo sanant. *Vulnerentur male sani, ut sanentur bene vulnerati.* Secundò ligant, imò conclavant. *Christo confixus sum Cruci.* Tertiò enervant ad res terrenas. *De cætero nemo mihi molestus sit,* inquit Paulus, tractando negotia terræ: quia *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Quartò mortificant hominem veterem, & vivificant novum. Id in se expertus est Apostolus, *quando cecidit Saulus, ut esset Paulus.*

3. *Exibit ut fulgur, jaculum ejus.* Zachar. 6. Iacula & sagittæ, quæ ab his vulneribus prodibunt, erunt ut ardentia fulgura, quæ accendent corda Divino amore. Accendite, exurite nostra corda. Ferite, ligate, enervate, occidite. Non est absque dolore vulnus; & ubi est dolor, ibi cogitatio: vis autem continui doloris debilitat & occidit. En signa,

per quæ dignoſces, an in te operen-tur Divina vulnera, & in amor cæleſti ardentem faciant.

## CONSIDERATIO XXV.

## CHRISTVS VVLNERATV

### *Anchora Spei.*

1. SPes in Chriſto vocatur ab A-poſtolo anchora. *Quam ſicu anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Nam ut anchora navin inter procellas firmam tenet abſqu periculo naufragii: ita virtus ſpe ſtabilit & corroborat animam, u ne in tentatione, & hujus vitæ peri culis deficiat. Anchora vulnerun differt à præſenti, propterea quo hæc in mare profundum jacitur, & terræ implicat; illa figitur in Cœ lo, & in Dei bonitate.

2. Hæc in Chriſtum ſpes ſecun dum Auguſtinum, in duobus eſt fi ta, in vulneribus Chriſti, & in ſpon ſione

sione. *Pater, volo ut ubi sum ego, & ipsi sint mecum. Non credis? crede, crede. plus fecit, quam promisit; & plus est, quod mortuus sit æternus, quam quod mortalis vivat in æternum.* Plus facit nobis, inquit Augustinus, quam promisit. nam plus est Deum æternum mori, quam hominem mortalem vivere in æternum. Itaque si credimus illud adimpletum, credamus & speremus etiam hoc posterius adimplendum. *Erigat se ergo humana fragilitas*, ait idem, *non desperet, non dicat, ibi non ero.*

In duabus aliis rebus, ait Apostolus, nostra in Deum spes consistit, *ut per duas res immobiles fortissimum solatium habeamus.* scilicet in promissione & juramento Dei, quod seipsum in gloria nobis donaturus sit. Et dicuntur immobiles, quia impossibile est Deum non præstare id, quod promisit. Et ab hac consideratione *fortissimum solatium*, aut ut alii legunt, *validam consolatio-*

*nem*, vel *validam exhortationem habemus*, quia respiciendo certas, & æternas promissiones Dei, supportamus cum patientia, & magna alacritate omnes hujus vitæ tribulationes.

3. Ad desperationem deducere S. Catharinam Senensem cupiens dæmon increpabat de vita pessimè acta, ad quem illa liberè; Vera sunt quæ dicis, & ego me peccatricem fateor. verùm *Domini vulnerum recordor*, in quibus omnem spem meam reposui. *In Domini vulneribus abscondar & ejus pretioso sanguine abluam animam meam, & omnia peccata mea delebo.* Fregêre tam potentia verba dæmonem, & in fugam egerunt.

CON-

## CONSIDERATIO XXVI.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Turris Fortiſſima.*

1. DVo ſunt communia adverſus tentationes media, ſecundum S. Thomam, *Oratio, & exercitium.* Primùm, *Oratio*, quia ut Theologi docent, graves tentationes abſque divina gratia non ſuperantur. gratia autem divina non obtinetur abſque oratione. Non itaque vincuntur tentationes abſque oratione. Hac de cauſa dicitur Adamus in ſua victus tentatione, quia ad Deum per orationem non confugit. Secundum medium eſt *exercitium*, quo faciendi ſunt actus contrarii tentationi. veluti humilitatis contra ſuperbiam, ſpei adverſus diffidentiam, &c. Vtrumque medium complexus eſt Chriſtus, cum dicebat Apoſtolis. *Vigilate, & Orate:*

*ne intretis in tentationem.* Vigilate exercitio actuum virtutis vitio oppositæ, Orate studio orationis.

3. Hæc oratio juxta Augustinum consistit in rememoratione vulnerum Christi. *Cum tentaris, fuge & intra in turrim*, hoc est, Christum crucifixum; per vulnera, ceu portas quasdam. *Ipse est turris fortitudinis à facie inimici, quo cum fugero, non solum vitabo tela inimici; sed etiam in illum tela jaculabor.* Hoc facere, est cum Apostolo *facere cum tentatione proventum*, aut ut in Græco legitur, *progressum.* non solùm enim nos defendimus, sed etiam vincimus, & reportamus spolia de inimico. non solùm non patimur detrimentum, sed etiam progressum facimus in gratia, & virtutibus propter actus virtutum oppositos tentationi, quam vincimus.

3. Si in Turrim ipsam penetrare non potes, accipe saltem unam ejus petram, quæ juxta S. Ambrosium

sium est ipse Christus crucifixus. *Si in te insurrexerit lupus, petram cape, & fugiet. Petra tua Christus est perforata vulneribus. Hanc Petram quæsivit Petrus, cum titubaret in fluctibus: & invenit, quod quæsivit, quia dexteram amplexus est Christi.*

## CONSIDERATIO XXVII.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Norma Prudentiæ.*

1. EX prudentiæ serpentinæ argumentis non postremum judicio D. Augustini est, quod ut nova se veste & pelle vestiat, veterem detrahat, transmisso per arctum foramen corpore. *Vt pellem vitiorum deponamus, per foramen stigmatū Christi transeamus.* quod fit consideratione, considerando infinitum amorem, quem Dominus in illis vulneribus demonstravit. Est enim in amore, vis trans-

transformandi & convertendi in suam naturam. Vbi itaque considerauerit vulnera tam amabilia, & amore infinito & Divino plena, vestiet se anima veste nuptiali amoris, & exuet veste peccati.

2. Non prius veterem pellem exuit serpens, quam nova succreverit, ab hac pellitur illa. Excita in te prius amorem divinum, hic à tuo pectore fugabit omnem amorem proprium & mundanum.

3. Nequit absque dolore spoliare se suo vellere serpens: deponit tamen, *sciens quia pelle deposita pulchrior apparebit*. Non est absque dolore amor. Solatur nos tamen fructus amoris, & quia anima ante Deum pulchrior apparebit; *Per foramen stigmatum Christi transeamus, & tunc pulchriores apparebimus.*

# CONSIDERATIO XXVIII.
## CHRISTVS VVLNERATVS
## *Liber scriptus.*

1. COnsidera Christum crucifixum, ceu librum scriptum rubeis characteribus, in quibus leguntur *lamentationes, & carmen, & væ. Lamentationes*, ob contritionem tuorum peccatorum: *carmen, & væ*, ob spem præmii, & pœnæ timorem.

2. Et erat *liber scriptus intus, & foris*; intus vulnere amoris, extra vulnere furoris. *Vulneratur lancea furoris, qui prius vulneratus fuit lancea amoris.*

3. In hoc libro anima mea studebis continuè, hos leges sanctissimos characteres. *Et erit in ore tuo tanquam mel dulcis.* est enim liber cælestis sapientiæ, quæ *viam Dei in veritate docet*. Lege in characteribus

bus pedum lamentationes, dolendo de tuis peccatis, & attendendo ad exercitium virtutum: Et in illis manuum *carmen, & væ*; petendo ut te liberet à pœnis inferni, & concedat gratiam Paradisi, ut deinde aperto vulnere lateris te inebriet puro & sancto amore Iesu & Mariæ.

## CONSIDERATIO XXIX.

## CHRISTVS VVLNERATVS

### *Conversio Animarum.*

1. AD juvenem ab amore carnali, & mundano convertendum ad sanctum & divinum, comparuit Dominus ceu noviter passus *quasi plagis recentibus crucifixus*, & dixit ei; *Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis, & generosus.* His dictis evanuit, mulier verò plena jubilo & exultatione omnem tentationem excussit.

2. Alla-

2. Allabora, ut ſacra vulnera eundem in te effectum ſortiantur. Intuere illa, ceu vulnera Dei tui amantiſſimi, quique in ſeipſo eſt pulcherrimus, optimus, dulciſſimus, potentiſſimus.

3. Obſecrabis Virginem Sanctiſſimam, ut ſanguine Filii ſui tam copiosè ex illis vulneribus profuſi ſcribat indelebiliter in corde tuo; *Me diligas, qui ſum formoſus, bonus, dulcis, & generoſus.*

## CONSIDERATIO XXX.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Myrrha cum Aromatibus.*

1. INcluſa anima in Chriſti vulneribus dicere cum ſponſa poteſt. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, id eſt, myrrham Paſſionis cum aromatibus gaudiorum.* Triſtatur ob Chriſti mortem, attamen triſtitiam concludit gaudio de reſurre-

reſurrectione. *O beata vulnera myrrhea & aromatica vulnera!* u commutatis amaritiam in dulcorem? ut à magnitudine conſolationis & gaudii omnis dolor opprimitur, & extinguitur?

2. Dicamus cum Propheta, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* aut ut alii legunt, *Salvatore* vel *Redemptore meo.* Quaſi dicat, quamvis memoria vulnerum Domini mei Salvatoris contriſtetur, & affligatur anima mea; non poſſum tamen non jubilare in conſideratione victoriarum, & fructus illius. *Exultatio noſtra* inquit S. Ambroſius *eſt extra ſaltatio.* id quod ſignificat ingentem quandam lætitiam, quæ intus non clauditur, ſed foras erumpit. Vt de Davide legitur, quod ſaltabat coram arca. Et ſaltationem à nobis requirit Dominus, non corporalem ſecundum corporis volubilitatem; ſed ſpiritualem ſecundum *fidei ſanctitatem.*

*ctitatem*. Et ſicuti qui ſaltat corpore, non ſubſiſtit in eodem loco, *ſed diverſa loca colluſtrat*, ſeque librat ſurſum, deorſum, antrorſum, dextrorſum; ita hunc affectum jubili, exultationis, tripudii nos concipere decet, qui in vulnera Chriſti introgreſſi ſumus. Saltemus de vulnere in vulnus, & nunc in Paradiſum libremur, in eum lancea ceu clave reſeratum oculos contemplationis defigendo. aliàs devolemus in abyſſum inferni obſeratum clavis. aliàs proſiliamus, triumphando de inimicis noſtris & poteſtate tenebrarum virtute ſanguinis debellatâ. denique cum Bonaventura *omnia perluſtrem, omnia videam ſuo ſanguine cruentata*. Gaudeat Cœlum, triumphet terra; quia virtus & gloria vulnerum Chriſti ubique regnat, ubique triumphat, *in æternum & ultra*.

3. Hic effectus exultationis eſt donum Spiritus Sancti, & à Cœlo quærendus. Iuvat dilataſſe cor ad

amplexandum majori amplitudin & affectu imitationem vulnerum Christi. Dices cum Sponsa: *Surg aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Abscedat malignus spiritus, veniat divinus, & visitet cælestibus inspirationibus hortum animæ meę, & fluant aromata Divinarum consolationum.

## CONSIDERATIO XXXI

## CHRISTVS VVLNERATVS Holocaustum pro hominibus.

1. QVamvis tota vita Christi fuerit continuum sacrificium & holocaustum juxta dictum Augustini, *omne opus bonum ad Deum relatum dici potest sacrificium:* nihilominus loquendo in rigore, solùm in altari Crucis obtulit proprium sacrificium suiipsius. Ipse Christus dixit, *Pro eis ego sanctifico me-*

*meipsum.* hoc est, sacrifico, ut explicant Doctores: quia in Cruce *accepit vulnera lethalia ad ipsius mortem proxime ordinata.* quod necessarium est ad verum, & proprium sacrificium, maximè holocausti.

2. Ad hoc sacrificium concurrit non solùm *per modum acceptationis*, acceptando voluntariè mortem, ut etiam Martyres ad sua martyria concurrunt; sed etiam *per modum oblationis.* cum enim in cruce penderet, poterat vel amoliri carnifices, vel instrumentis mortis vim occidendi adimere, vel se in vita conservare. quod Martyribus concessum non fuit, atque ob id ipsorum martyrium non erat propriè in rigore sacrificium. Adde, quod ipsorum mors non erat ordinata ad salutem Mundi, ut illa Christi fuit.

3. Considera quomodo Christus mediis vulneribus seipsum obtulerit in sacrificium, & pro nobis, *in quantum erat satisfactoriū pro peccatis;*

*tis*, & pro se, *in quantum erat sati*
*factorium pro collatis beneficiis*; &
pro sua Humanitate *in quantum*
*erat latriacum*, namque offereba
debitum Deo cultum.

## CONSIDERATIO XXXI
## CHRISTVS VVLNERATV
### *Sacrificium Iustitiæ.*

1. SAcrificium vulnerum Chris merito appellatur sacrificium justitiæ, illo enim satisfit non solùm adæquatè, sed etiam superefluente justitiæ Patris æterni. Namque culpa fuit infinita solummodo ex parte Deitatis offensæ: satisfactio verò est infinita & propter personam quæ eam acceptat, quæ est Pater; & propter personam, quæ satisfacit quæ est Christus.

2. Sacrificium vulnerum secundum S. Augustinum in Cœlo eri perfectissimæ justitiæ. *Cum ædifica*
*buntu*

*buntur muri Ieruſalem, tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ: modo autem ſacrificium pro iniquitate, ſpiritum contribulatum, tunc ſacrificium juſtitiæ laudis ſolius. Beati enim, qui habitant in domo tua, Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te, hoc eſt ſacrificium juſtitiæ.* Adverte quodnam ſit perfectum ſacrificium juſtitiæ. *Sacrificium laudis ſolius, Sacrificium laudis honorificabit me.* Hoc Deo perfectè redditur in Cœlo, ubi adoratur perfecto cultu latriæ, ceu primum principium, & ultimus finis rerum omnium.

3. Idem ſacrificium, ut alii docent, eſt in Cœlo ſacrificium ſatisfactorium: non jam ob culpam aut pœnam, ſed ob debitum reverentiæ, cultus, & amoris, qui Deo debetur. In Cœlo enim Deus modo perfectiſſimo adoratur, amatur, laudatur.

## CONSIDERATIO XXXIII.

## CHRISTVS VVLNERATVS

### *Mors sensuum, vita spiritus.*

1. VVlnera Christi hac proprietate gaudent, quod solentur, & contristent. quantoque major est corporis tristitia, tanto major est consolatio animæ. *Secundum magnitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Neque verô mortificare se est perdere consolationem, sed commutare corporalem in spiritualem.

2. Vulnera Christi mortificant per Crucis præsentiam, & vivificant per spem præmii. S. Franciscæ Romanæ duo Angeli comparuere, alter mœstus & cruci conclavatus; alter hilari vultu, & palmam manu præferens. qui enim vivit conclavatus Cruci, repletur consolatione

tione propter ſpem coronæ, & palmæ.

3. Vulnera Chriſti mortificant carnem, ſed vivificant ſpiritum: mortificant hominem veterem, ſed novum animant: mortificant affectus terrenos, ſed accendunt deſideria Cœli, & contemptum eorum, quæ corpus affligunt. Sat eſt, quod anima, quæ in æternum vivet, vivat Cœlo.

## CONSIDERATIO XXXIV.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Memoriale SS. Sacramenti.*

1. INſtitutum eſt Sanctiſſimum Sacramentum ob memoriam vulnerum Salvatoris. *Hoc facite in meam commemorationem.* hoc eſt, in memoriã vulnerum & Paſſionis, ut explicat Conciliũ Tridentinum, & paſſim à Patribus & Doctoribus creditur. Hanc tamen memoriam

decet eſſe imitativam. *Hoc facite in meam commemorationem*, ait S. Cyprianus, *id eſt, in meam imitationem, ſeipſum in mortem offerendo, ſicut videt, ſe Chriſtum offerre. Et hæc eſt ſola retributio, cum ſanguis ſanguine compenſatur.*

2. In eodem etiam Sacramento altaris repræſentatur effectus vulnerum Chriſti, qui eſt mors. Ideo voluit Chriſtus, ut *ex vi conſecrationis* conſecraretur ſeorſim ſanguis à corpore, ut mors ſua apprehenderetur non ſolum *ſecundum fidem*, ſed etiam certo quodam modo maniſeſtè *ſecundum ſenſum*, dum videntur oculis & tanguntur manibus hinc ſpecies panis, ſub quibus Chriſti corpus; & hinc ſpecies vini, ſub quibus ejuſdem ſanguis continetur.

3. Fructus vulnerum, qui eſt gloria & beatitudo æterna, repræſentatur etiam in Sancto Sacramento, quod eſt *pignus æternæ gloriæ*

*gloriæ* nobis per vulnera promeritæ.

## CONSIDERATIO XXXV.

## CHRISTVS VVLNERATVS *Amor SS. Trinitatis.*

1. QVod in vulneribus ſecundum ſanctum Auguſtinum præcipuè conſiderandum, eſt *ardor charitatis in Sanctiſſima Trinitate.* Hinc agnoſces, quantus ſit amor Patris, qui *proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* quantus amor Filii, qui dixit, *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Quanta dilectio Spiritus Sancti, qui Chriſtum ad patiendum pro nobis impellebat, & accendebat. *Agebatur à Spiritu Sancto.*

2. Amor SS. Trinitatis totus conſiſtit in vulneribus Chriſti. Illæ movent Deum ad liberaliter fundenda in nos dona, ut docent Theologi,

logi, qui ajunt, *omnia dona gratiæ effectus sunt, & præmia vulnerum, & meritorum Christi.*

3. Si cupis à Deo diligi, ama vulnera Christi, commorare in illis sacris cavernis. Oculi quibus Deum conspicies, sint tincti sanguine vulnerum Christi.

## CONSIDERATIO XXXVI.

## VVLNVS LATERIS CHRISTI.

### *Porta Vitæ.*

1. VOluit Dominus post mortem sibi lancea latus aperiri, ut indicaret fructum suæ mortis, qui est aperire nobis Cæli portam. ideo, ut notat Augustinus, non dixit Euangelista, *percussit aut vulneravit ejus latus; sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.*

2. Quis-

2. Quisquis hanc portam ingredi concupiscit, induat vestem justitiæ. *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Dicitur, *in eam*; & non, *per eam*: quia simul est & porta, & domus; via, & vita; medium, & finis.

3. *Ostiarii hujus ostii*, qui aperiunt, ut S. inquit Augustinus, sunt Sancti, & inter eos principatum gerit Sancta Sanctorum, Regina omnium Sanctorum, Mater Dei. *Hæc aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Aperi nobis ostium vitæ*, Mater potentissima, *ingressi in eam confitebimur Domino* una tecum, Mater dilectissima, benedicenusque in æternum. Amen.

## CONSIDERATIO XXXVII.

# VVLNVS LATERIS CHRISTI

## *Lavacrum Cordis.*

1. *IN illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem in ablutionē peccatoris*, Zach. 13. Curre anima mea ad fontem lateris Christi, ut laveris ab omnibus maculis tuorum peccatorum. Age gratias Domino, siquidem Christus *qui erat fons latens in sinu Patris factus est fons patens in sinu Virginis* quando post apertum latus de Cruce depositus est in amplexum virgineum.

2. Clama cum Davide: *Dele iniquitatem meam, amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Dele, lava, & munda.* Dele hoc sanguine scelera mea maxima;

xima. *Lava* à venialibus, & levibus. *Munda* ab omni inordinato affectu, & pravis inclinationibus. Vel cum Hugone dicito: *Dele culpam, quam non fecisti: lava animam meam, quam tua imagine signasti: munda corpus, quod redemisti.* Habet hic sanguis non solùm virtutem tollendi maculas ab anima, reducendo eam ad suam puritatem naturalem: sed etiam confert puritatem supernaturalem gratiæ. Quod indicare voluit David, cum dixit, *lavabis me* puritate naturali; *& super nivem dealbabor*, puritate supernaturali gratiæ veluti si aqua tantæ Virtutis & efficaciæ donaretur, quæ vas famium non solùm à fecibus expurgaret, sed etiam inauraret.

3. Nec turberis, cum audis, quod Christus post mortem non sit meritus, & ex consequenti quod sanguis à latere profluus non fuerit meritorius nostræ salutis. nam ille

sanguis, quamvis ex se solitariè sumptus non fuerit meritorius; nihilominus ut liberè oblatus & ad redemptionem ordinatus à Christo vivente, potuit esse, & fuit meritorius. Hoc sensu loquuntur Patres. S. Augustinus cum dicit *effusum fuisse in remissionem peccatorum*. S. Leo vocat *Sanguinem redemptionis*. S. Ambrosius ait, exivit aqua & sanguis è latere Christi, *Illa qua diluat; iste, qui redimat*. Ab Epiphanio ille sanguis, & aqua vocantur, *pretia nostræ redemptionis*. Itaque adorabis pretiosissimum sanguinem, qui ex latere Christi profluxit, adorabis autem summa cum devotione & spe, ut remissionem nostrorum peccatorum, ut pretium nostræ salutis, ut complementum, & ultimam perfectionem nostræ justitiæ; siquidem Deus ordinavit, ut illo compleatur opus redemptionis humanæ. Quamobrem appositè dicebat S. Cyprianus: *Sanguis ille emanavit ad complemen-*

*plementum, perfectionemque totius justitiæ.*

## CONSIDERATIO XXVIII.

## VVLNVS LATERIS CHRISTI

### *Refugium Peccatorum.*

1. MOntes *excelsi cervis, petra refugium herinaceis.* Maximi Sanctorum, significati per cervos, degunt per contemplationem in sublimibus montibus Paradisi: Inferiores verò in petra, quæ est Christus, & potissimùm in ejus latere.

2. Sanctiùs dixerimus, adstruendo quod iidem utrobique versentur juxta diversitatem affectuum. Tempore consolationis, ceu sitibundi cervi, decurrunt immensam Paradisi planitiem, ad extinguendam in vivis fontibus sitim. Desolationis verò tempore, & cum gravi-

tatem suorum delictorum ruminant, ceu timida animalia aut herinacei, recurrunt ad præsidium securum lateris Christi.

3. Sed utut sit, tu cura, ut cum S. Comite Elzeario sis in vulneribus Christi. Sic ille ad conjugem suam scribit: *Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi: ibi enim habito, & ibi me poteris invenire.* Istic, si cervus es, copiosum vitæ fontem reperies. ibidem si ob tua peccata es animal timidum & spinosum, reperies certam de venia spem, fruerisque loco ceu petra refugii, & montibus celsis Cœli.

## CONSIDERATIO XXXIX.

## VVLNVS LATERIS CHRISTI

## *Paradisus Deliciarum.*

1. SEptem sunt Principes excellentiæ Paradisi terrestris. Serenitas

renitas aëris, fertilitas terræ, quatuor flumina, arbor vitæ, fructus prohibitus ſcientiæ, juſtitia originalis, & certitudo gloriæ æternæ. Iiſdem prærogativis fruitur anima, quæ in hoc cœleſti Paradiſo lateris Chriſti habitat. Efficitur enim expers omnis turbationis, fertilis virtutum operibus, ornata quatuor virtutibus cardinalibus; ſapientia, juſtitia, temperantia, & fortitudine. Amplexatur humilitatem, ſpernit gloriam Mundi, pacifica eſt per charitatem Dei & proximi, & vivit cum ſpe futuræ beatitudinis æternæ.

3. Roga itaque Dominum, ut quemadmodum primum hominem in Paradiſo terreſtri collocavit, ut eum illic conſervaret, & omni ſanctitate exornaret: (Hoc enim ſenſu exponit S. Auguſtinus verba illa: *Poſuit Deus hominem in Paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum*, vocem *illum*, referendo ad

hominem, non ad Paradisum) Sic velit te locare in sancto, & amœnissimo Paradiso lateris Christi, ubi te custoditum in sua sancta gratia adducat ad omnem præcellentem virtutem, & subsignet arrha futuræ gloriæ. Amen.

## CONSIDERATIO XL.

## VVLNVS LATERIS CHRISTI *Mare Rubrum.*

VVlnus lateris Christi adumbratum est per mare rubrum.

1. In mari rubro submersi sunt Ægyptii. Israëlitis verò iter præbuit in terram promissionis. Quisquis ingreditur mysticum mare rubrum lateris Christi, istic submergit & extinguit peccata sua, & liber non ad terram, sed ad Cœlum promissionis transgreditur.

2. Terruit ad primum intuitum Hebræos

Hebræos mare rubrum, ſed ut ingreſſi ſunt, *terra apparuit arida*, & *in mari rubro via ſine impedimento*, & *campus germinans de profundo nimio.* Terret in principio minitabundum mare lateris Chriſti propter tua peccata: verùm ſi proceſſeris intro fidendo virtuti ſanguinis, fiet tibi campus floridus, & hortus deliciarum.

3. Mutatio maris rubri in campum floridum facta eſt virtute Crucis, per Virgam Moyſis figuratæ. Ejuſdem crucis adminiculo, ſi paſſus & compaſſus fueris vulneribus Chriſti, mutabuntur in te dulcia Mundi in amarorem; & amara in dulcorem.

## CONSIDERATIO XLI.

# VVLNVS LATERIS CHRISTI

## *Propitiatorium Arcæ.*

PRopitiatorium arcæ figura fuit vulneris lateris Humanitatis Christi.

1. Propitiatorium erat ex auro puro, arca verò solummodo obducta auro. *Facies propitiatorium de auro mundissimo.* De arca verò ait, *Et deaurabis eam.* Aurum meritorum Christi essentialiter consistit in vulnere lateris, in reliquis partibus est solùm accidentalis quædam deauratio.

O amoriferum Christi cor, principium omnis nostri meriti! *In qua voluntate sanctificati sumus.* Ego te revereor, adoro, & fateor me à te, velut à fonte abundante & superefluente vitam hanc h[illegible]fisse. Gra-

tias tibi ago, & in æternum reverebor te.

2. Propitiatorium erat thronus gratiæ Dei: per illud enim expediebat Deus memorialia gratiæ, & propitius fiebat omnibus, gratiaſque profundebat. E vulnere cordis concedit Deus omnia dona gratiæ, & gloriæ. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ Dei,* ut exhortatur Paulus, neque enim in futuro judicio ſupererit thronus gratiæ, ſed ſolius juſtitiæ.

3. *Propitiatorium erat Dei oraculum*, namque ex eo pandebat ſuam voluntatem, & in dubiis divina reſponſa. Quiſquis cupis audire vocem Chriſti, & cognoſcere ejus voluntatem, ingredere in Divinum cor; iſtic in dubiis conſilium exquire, reddenturque tibi Divina oracula.

CON-

## CONSIDERATIO XLII.

## VVLNVS LATERI CHRISTI

### *Accensa Fornax.*

1. TRes pueri in medio flamma
rum fornacis Babylonic
fuere à Domino singulari numin
protecti & recreati. non enim ei
nocuit flamma ignis, neque contri
stavit; tantumque pepercit, ut n
pilum quidem aut filum læderet. So
la ligamina sustulit, quibus ligati e
rant. *Luxit illis ignis, non ussit: & ub*
*supplicia, ibi refrigeria.* Majoribus do
nis beantur, qui habitant in mystic
fornace amoris aperti lateris Chri
sti. Istic reperiunt, quod ille Domi
nus ob Zelũ charitatis tela, quæ me
rebamur, in se convertit. seq; mort
subjecit, ut nos ab ea liberaret; ex-
hauriens unus ipse supplicia, quę de-
inde

inde nobis in refrigerium ceſſerunt.

2. In eadem fornace ſancti tres pueri fruebantur conſortio Angelorum, habebantque *ventum roris flantem* auræ ſuaviſſimæ. *& uno ore benedicebant Dominum dicentes: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. quia eruit nos de inferno, & ſalvos fecit nos de manu mortis, & liberavit nos de medio ignis.* Neque in latere Chriſti deeſt Angelorum frequentia, aut internæ Spiritus ſancti inſpirationes. Iſtic majori multò ratione laudabis Dominum, & gratias ages, quia liberavit te non ab igne aut morte temporali hujus vitæ, ſed ab igne & morte æterna inferni.

3. Non ſolùm autem flamma non nocuit tribus pueris, ſed etiam effuſa extra fornacem combuſſit Chaldeos, qui circumſteterant. *Eruþit ignis, & incendit, quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.* Ignis quoque divi-

divinæ justitiæ relictis illæsis, qua
in corde sunt; absumet eos, qui foris sunt extra fornacem spiritualem lateris Christi.

## CONSIDERATIO XLIII.

## VVLNVS LATERIS CHRISTI

### *Porta Arcæ Noë.*

1. Porta, per quam ingressus in arcam patebat, fuit juxta S Augustinum figura vulneris lateri Christi. *Ostium in latere, quod arca accepit, profecto illud est vulnus, quando latus Crucifixi lancea vulneratum est.* Noë & socii, qui per eam portam ingressi sunt, vitam conservarunt: reliqui, qui per eam non sun ingressi, perierunt aquis diluvii. Quisquis viva fide in latus Christ ingreditur, vivet: morietur, qu ingredi recusat.

2. Animalia in arca, deposita
feritate

feritate naturali, & inimicitiis inteſtinis, convivebant pacificè: Noë verò & filii intendebant contemplationi Divinæ. Paſſiones noſtræ, & affectus partis inferioris in latere Chriſti manſueſcunt; potentiæ verò partis ſuperioris in illa ſua quiete ad Divina ſe contemplando erigunt.

3. Non eſt egreſſus Noë ex arca prius, quam aquæ diluvii ſiccarentur. utque tutiore in loco vitam ſuam poneret, rogavit Dominum, ut portam deforis obſeraret, *incluſitque eum Dominus deforis.* Felicem te, ſi eadem doneris ſorte; ut quamdiu turbulentæ hujus Mundi aquæ imperant, incluſus maneas in vulnere Chriſti, nec ſinat te inde unquam egredi.

# FASCICVLVS MYRRHÆ

## ſive Conſiderationes variæ *Super* CHRISTO VVLNERATO.

## LIBER TERTIUS.

### CONSIDERATIO I.

### *De amore, dolore, & pretio vulnerum Chriſti.*

1. V*Vlneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Cauſa vulnerum Chriſti non fuere clavi, aut lancea, ſed tua peccata. Vulneratus eſt Chriſtus ex puro amore

ad

ad tuam utilitatem, ut te liberaret à peccatis & morte, & conferret gratiam & veram vitam. Idque totum præſtitit abſque intuitu ullius proprii commodi. Hanc amoris puritatem & tu imitaberis, quærendo in rebus omnibus, *non quæ tua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti.*

2. Dolor Chriſti juxta immenſitatem amoris fuit immenſus: majorque fuit dolor, quo tibi propter tua peccata & damnationem tuam condolebat, quam fuerit de propria crucifixione & morte. Hunc amorem, & hunc dolorem aſſiduè ruminabis immerſus vulneribus Chriſti, rogabiſq; Dominum cum S. Auguſtino: *Scribe Domine vulnera tua in corde meo pretioſo ſanguine tuo, ut legam in eis amorem tuum ad contemnendum pro te omnem amorem; dolorem tuum, ad ſuſtinendum pro te omnem dolorem.*

3. Vulnera Chriſti pretium accipiunt ab Vnione cum infinita per-

ſona Verbi, ſuntque deifica non ſolùm in ſeipſis, ſed etiam in nobis per illa enim, & in illis transformamur in quoddam eſſe Divinum, & omnem humanam naturam tranſcendens. ita loquitur S. Bonaventura: *Paſſio amabilis & admirabilis quæ ſuum meditatorem alienat, & non ſolùm reddit Angelicum, ſed Divinum.*

## CONSIDERATIO II.

### *De dolore, quem Chriſtus in vulneribus ſenſit.*

1. INtenſiſſimus omnino fuit dolor, quem Chriſtus Dominus noſter in quinque vulneribus ſenſit. Primò propter locum, in quo ea paſſus eſt. namque manus, & pedes ſunt partes maximè nervoſæ & ſenſitivæ. In his carnem clavi dilacerarunt, terebrarunt venas, perruperunt nervos & arterias cum in-

credi

credibili ſpaſmo Domini.

2. Maximus fuit ob violentam diſtenſionem corporis, quam adhibuerunt carnifices, ut & manus & pedes deſignatis foraminibus applicarent. fuitque hæc diſtractio ſimilis pœnæ eculei, & major, quia fuit tanta, ut omnia pectoris & totius corporis oſſa dinumerari ſingillatim poſſent, ut prævidit Propheta, qui dicebat, *Dinumeraverunt omnia oſſa mea.*

3. Vt ob pondus corporis in eculeo ſemper creſcit dolor, & tandem fit intolerabilis: ita & Chriſto in Cruce pendenti aggravabantur dolores, & creſcebant accedente nova carnis & venarum laceratione, nervorumque & arteriarum attritu. Adjungebatur continua oſſium divulſio & luxatio, quibus omnibus ita creverunt Chriſti dolores, ut intenſiores eſſe non poſſent. Eos ut nobis patefaceret, clamavit ad Patrem, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?*

Inter omnes hos dolores nullus major aut acutior Christum pupugit, quam tua ingratitudo. Quare S. Bernardus in persona Christi exclamat. O *homo! vide, quæ pro te patior. non est dolor, sicut quo crucior. ad te clamo, qui pro te morior. vide pœnas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior. cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratum experior.*

## CONSIDERATIO III.

### *De desiderio, quod Christus habuit accipiendi vulnera.*

1. A Primo instanti suæ conceptionis Christus se obtulit ad mortem, & mortem Crucis per vulnera manuum, pedum, & lateris perficiendam. *Vota mea, id est, vulnera mea Domino reddam.* vocantur vota; *quia voto oblata fuerunt.* Considera itaque quod anima Chri-

Chriſti ſanctiſſima mox atque per Creationem ingreſſa eſt in theatrum hujus Mundi, ex deſiderio faciendi rem Patri æterno gratiſſimam in procuranda noſtra ſalute, ſe obtulit ad mortem Crucis & ad vulnera: atque ut deſiderii ſui in hoc opere magnitudinem oſtenderet, illud voto confirmavit.

2. Duæ fuerunt Chriſti Cruces, altera ſpiritualis, quæ à primo inſtanti conceptionis cœpit: altera corporalis, cui principium datum in præſepio. Spiritualis Crux conſiſtebat in triſtitia interna, quam cauſabat viva futurorum vulnerum & mortis apprehenſio. O ſanctiſſima Chriſti anima, gratias tibi ago, teque in æternum benedico, propterea quod ab ipſo principio tuæ conceptionis adhuc intra virgineum uterum concluſus ſuſcepiſti in te dolorem vulnerum; priuſque ab amore, quam ab odio crucifigi voluiſti.

3. Diſce anima mea, tua deſide-

ria conformare desideriis Christi. *Disce à Christo, quomodo diligas Christum.* Desideria Christi sunt, pati & mori, vulnera, Crux. De his à Patre præceptum accipit. hæc ipse firmat voto. In illis elucet Charitas Christi ardens, insuperabilis, & inæstimabilis. Tua quoque desideria pro scopo habeant ruborem vulnerum, passionis, & mortis pro Christo, & in Christo.

## CONSIDERATIO IV.

### *De cupiditate patiendi, quam Christus in suis vulneribus ostendit.*

1. QVamvis vulnera Christo fuerint summo dolori, non tamen pertigerunt ad magnitudinem desiderii patiendi. Ferrum transfixit manus, pedes, & latus: at desiderium totum corpus perforavit. Odium Iudæorum adaperuit vul-

vulnera in cruce; deſiderium per omnem vitam, inchoando ab utero virginali. Huc tendebat querela Chriſti ad Patrem æternum: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Non petit propter tormenta, quæ patitur; ſed propter tormenta, quæ non patitur*, inquit Bernardus. vivere petiit, non propter vitam, ſed ut pateretur amplius, & prolongaret mortem.

2. Hanc ob cauſam vulnera conſervavit poſt reſurrectionem; ut quia gloria impeditura erat paſſionem & dolorem, memoria ſaltem vulnerum frueretur, ſubſtitueretque negato (ut ita dicam) originali Crucis imaginem, quam vulnera exprimebant. *Baptiſmo habeo baptizari*, dicebat Chriſtus cum de ſua morte loqueretur, & *quomodo coarctor, uſque dum perficiatur illud*: Baptiſmo habebat baptizari ſuæ mortis & paſſionis, affligebaturque quum differretur, & ajebat; O quan-

O quanto ardeo desiderio! ô quæ dies meo desiderio satisfaciet! ô festinate horæ.

3. S. Gertrudem docuit Dominus, quid homini faciendum sit, cum imaginem crucifixi intuetur. Imaginabitur, inquiebat, se has à crucifixo voces accipere: *En vides, quomodo pro te sum vulneratus in Cruce. Si saluti tuæ expediret, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto Mundo.* tantus est amor, quo te prosequor, tantum tuæ in me salutis desiderium. S. Brigittæ hæc dixit: *Si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno: ego promptissima voluntate, & perfectissima charitate corpus meũ traderem: eandemque passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.* Idem suum desiderium aperuit Christus Carpo vindictam de scelerato quodam postulanti. cui apparens cum vulneribus hæc dixit: *Paratus sum corpore iterum*

*iterum pro ſalvandis hominibus pati.* Tu Carpe mortem peccatori illi poſtulas: ſcito tamen, me tam pro ipſo, quam pro quocunque hominum paratum eſſe denuo pati, & mori.

## CONSIDERATIO V.

### *Cur Chriſtus elegerit mortem Crucis.*

1. ELegit Chriſtus mortem Crucis ignominioſiſſimã, & dolorum feraciſſimam, non ſolùm quia ſic juſtitiæ & miſericordiæ congruebat; ſic enim ſatisfacimus Deo *de rigore juſtitiæ*: mediâ juſtitiâ Chriſti nobis ex ſumma charitate & miſericordia donati: ſed etiam ut exemplo Chriſti diſceremus non pavere mortem in cauſa Dei; & ut per quinque vulnera, veluti per totidem portas, ingreſſum in cor amoriferum nobis patefaceret.

2. Tor-

2. Tormentum Crucis pœnosissimum erat, & in solos servos, & mancipia exercebatur, immunes erant liberi. Morienti in cruce acclamabatur, *hujus vivere est diu mori, vulnus suum premere, inter supplicia tabescere, perire membratim, per stillicidia quasi animam emittere potius, quam semel exhalare.* Hanc crudelem moriendi rationem spectabat Paulus, cum dicebat, *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

3. Ad hanc Crucem, & crucifixionem vel corporalem, vel spiritualem invitantur servi Christi. Tu dicito cum Paulo, *Christo confixus sum Cruci.* Conclava cum Christo in eadem Cruce intellectum, voluntatem, potentias, sensus. Quod si amoris est unire amantem cum re amata, amor Christi uniet animam tuam cum Christo in eadem Cruce.

Refert Cæsarius Christum crucifi-

cifixum cum quindecim ejusdem Religionis similiter crucifixis cuidam Religioso apparuisse, dixisseque, *Hi soli ex omni congregatione mecum crucifixi sunt, meæ Passioni suam vitam conformantes.* Addit ibidem Cæsarius, hanc ctucifixionem fieri per humilitatem, patientiam, obedientiam. Clavo humilitatis affigi pedes, manum sinistram clavo patientiæ, dextram clavo obedientiæ. Malleus, quo clavi isti infiguntur, sunt spes Cæli, timor inferni.

## CONSIDERATIO VI.

### *De modo crucifixionis Christi.*

1. ALiqui sanctorum Patrum putant Christum affixum Cruci in terra protensæ. Alii, quorum princeps Bonaventura, arbitrantur in aëre crucifixum, cum arbor jam erecta esset. Modum hujus crucifixionis sic describit: *Hic mo-*

*dum Crucis diligenter attende. Ponuntur duæ ſcalæ, una retrorſum ad brachium, ſuper quas malefici aſcendunt cum clavis & martellis. Ponitur etiam altera ſcala ex parte anteriori attingens uſque ad locum, ubi debebant pedes affigi: & cogitur Ieſus per illam aſcendere, & cum ad ſuperiorem partem illius ſcalæ pervenit, ad crucem renes vertit, & manus in excelſum extendens eas porrigit ſuis crucifixoribus. Aſpicit in Cælum Patri dicens: Ecce hic ſum Pater mi, uſque ad Crucem me humiliare voluiſti pro amore, & ſalute generis humani. Placet, accepto, & pro eis me tibi offero, quos dediſti mihi. Qui autem retro Crucem eſt, accipit manum ejus dextram, & eam fortiter Cruci affigit. Similiter alius accipit manum ſiniſtram, & trahendo quantum poteſt, crucifigit. Deſcendunt poſt hæc de ſcalis, removentur omnes ſcalæ. & alius per pedes, quantum poteſt, trahit corpus, & corpore ſic extenſo ejus*

*pedes*

*pedes configit clavo durissimo.*

2. Considera circumstantias mysterii crucifixionis. Primò crucifixus est totus nudus, partim ut magnæ se confusioni & erubescentiæ propinaret, nostramq; ignominiam suâ tegeret; partim ut nobis exemplar paupertatis in se effingeret. *Qualis in Paradiso*, ait Ambrosius, *homo primus habitaverat, talis ad Paradisum homo secundus intravit.* Secundò reposita est ei corona spinea, quæ forte dum vestis inconsutilis detraheretur, exciderat. Hæc corona, ut D. Brigittæ revelatum fuit, *tam vehementer caput Filii mei pupugit, ut ex sanguine fluente replerentur oculi ejus, obstruerentur aures, & barba tota decurrente sanguine deturparetur.* Tertiò distensus est in Cruce, velut in eculeo. *Manus & pedes ultra modum cum fune trahebant ad loca clavorum, ita ut omnes nervi & venæ extenderentur, & rumperentur.* Quartò ut dolo-

rem ei intenderent, infixerunt clavos per eas manuum, pedumque partes, quæ nervosissimæ sunt. *Ex ea parte perforabant manus & pedes, qua os solidius erat.* Quintò pedes in Crucem affixi sunt duobus clavis, ut eadem Sancta memorat, *deinde dextrum pedem crucifixerunt, & super hunc sinistrum duobus clavis.* quamvis alii legant: *& insuper sinistrum duobus clavis*, suo clavo, cuilibet pedi attributo. Sextò ictus malleorum secundum aliquos fuere sexaginta quatuor, quorum plurimi ex rabie in ipsas manus & pedes immediatè decidebant. Septimò considera cum aliquibus, quod ad firmandos per refractionem clavos conversa Cruce Christum Iudæi pronum in terram conjecerint, & tanto Crucis onere presserint. His adjunge blasphemias, sitim, fel, tenebras trium horarum, frigus, quod exaggerabat non solum defectus omnium vestium, sed et-

iam carnis & pellis, quæ vel lacerata vel abſtracta ab aliquibus corporis partibus fuerat.

3. Aſpice qualiter crucifixus ſit tuus Dominus: *Fluunt undique ſacratiſſimi ſanguinis rivuli*, ex vulneribus manuum, pedum, capitis & totius corporis, quæ à clavis, ſpinis, flagelliſque aperta fuerant, & ab illa violenta veſtium detractione. Quamvis totus à vertice uſque ad plantam pedis ſit ſaucius, & plenus doloribus graviſſimis, non tamen queritur. *Foſſis manibus, & pedibus non loquitur; de ſpinis ſuum caput pungentibus non queritur.* Et quod ſtupori eſſe merito poteſt, immemor ſui doloris, memor tuæ calamitatis pro te Patrem precatur. Benedictus ſit tantus amor. Tu, ut gratus exiſtas, dona ei cor tuum inſignitum ſanctiſſimorum vulnerum imagine.

## CONSIDERATIO VII.

## *De pulchritudine vulnerum Christi.*

1. SI in resuscitatis corporibus Martyrum comparebunt gloriosæ cicatrices, quæ Christi causa inflictę sunt; quanto gloriosiora credemus futura Christi vulnera, quæ sustinuit & persona divina, & pro gloria Dei. *Vulnera, quæ permanserunt in corpore Christi*, ait Doctor Angelicus, *non pertinent ad corruptionem vel defectum, sed ad majorem cumulum gloriæ.* In omnibus membris Corporis Christi relucebat splendor gloriæ conveniens, & proportionatus statui glorioso Filii Dei veri & naturalis. *At in locis clavorum*, subdit idem, *quidam specialis decor apparebat.* Considera ut in foraminibus manuum & pedum inter se continuæ erant venę, musculi,

sculi, & arteriæ una cum sanguine: at caro disconnexa erat, ejusque loco vacuitas illa replebatur lumine gloriæ, splendore, & quadam Cæli qualitate, qua vulnera admirabilia, desiderabilia, & spectatu dignissima reddebantur.

3. Cuidam, creaturarum pulchritudini plus æquo alligatæ, apparuit Christus ostendens vulnera pulcherrima & gloriosissima, itaq; recentia ut ea hora inflicta viderentur: tantumque fuit lumen, & pulchritudo, quæ inde promicabat, ut anima illa capta Christi amore omnem creatum exuerit. S. quoque Teresia ex solo unius vulneris manus aspectu, ita immutata animo fuit, ut hanc illius pulchritudinem & lumen adamaret super omnia, & ab illa hora omnem amorẽ & pulchritudinem Mundi abhorreret. Quare optimè hinc deducit Blosius, quod post Deum maxima Cæli pulchritudo consistit in Christi vulneribus.

*Hæc quinque vulnera sanctissima plus pulchritudinis, decoris & claritatis toti cœlesti curiæ conferunt, quam omnia alia, quæ in vita perenni (excepta divinitate) habentur.* Hinc pariter deducamus, quantopere dolendum sit, quod in tantam hæc vulnera oblivionem devenerint.

## CONSIDERATIO VIII.

### *Quod vulnera Christi fuerint deificata.*

1. Assumpsit Christus & univit personæ divinæ non solùm naturam humanam, sed etiam ejus mala *absque peccato, ut totum mundum in se deificaret, non solùm quantum ad bona, sed etiam quantum ad mala.* Assumpsit ergo & naturam humanam, & vulnera; & tam illa, quam hæc in sua persona deificavit.

2. Et hæc est causa cur mala, quæ ex

ex natura fua *funt fragilia*, *exofa*, *& triftia*; *fiant amabilia & defiderabilia fuper aurum & lapidem pretiofum, cum non habentur : dulciora fuper mel & favum, cum habentur : quia cum affumpta funt in Dei perfonam, deificata funt*. Ante adventum Chrifti fugiebantur ignominia & pœnæ, ut quid execrabile : at poft Incarnationem, quia affumptæ funt & deificatæ in perfona divina, factæ funt amabiles & defiderabiles, atque ob id eas adamarunt viri Sancti, interque tormenta dicebant : *has epulas femper optavimus*. in ignibus verò clamabant ; *videmur nobis fuper rofeos flores incedere*. O fancta & benedicta vulnera Domini mei, ex quo comparuiftis in Humanitate Chrifti deificatæ, reddidiftis omnem paffionem dulcem in vobis fuo modo deificatam & divinam!

3. *Sed animalis homo non percipit ea, quæ Dei funt*. Caro & fanguis

non comprehendunt tam ſublimem doctrinam, non intelligunt divina myſteria; unum intuentur corticem dolorum, non fructum. ſolas reſpiciunt pœnas, non Chriſtum pœnarum Dominum: attendunt ad fallacem ſenſum Mundi, non ad verum judicium Dei. Non ſic S. Franciſcus devotiſſimus, & reverentiſſimus leproſorum, quos non ut homines reſpiciebat, ſed ut Chriſtos ob inſignia Chriſti, quæ portabant. leproſorum oſculabatur vulnera, ceu deificata in vulneribus Chriſti, & ut ipſius Chriſti vulnera.

## CONSIDERATIO IX.

### *Quod in vulneribus Chriſti reſplendent attributa divina.*

IN vulneribus Chriſti reſplendēt in ſummo gradu attributa divina, Potentia, Sapientia, & Bonitas.

1. Di-

1. Divina potentia *in ſuperando, juſtificando, reſurgendo*. Superavit in illis omnes inimicos, Mundum, dæmonem, carnem. Iuſtificavit peccatotes. Quod *opus juſtificationis majoris eſt potentiæ, quàm opus creationis*. Reſuſcitavit ſemetipſum, & alios: quod itidem omnipotentiæ ſignum eſt.

2. Manifeſtatur in Chriſti vulneribus ſumma ſapientia, quia reſpectu Patris fuerunt ſummæ juſtitiæ, reſpectu verò noſtri ſummæ miſericordiæ.

3. Manifeſtatur in iiſdem ſumma bonitas, quandoquidem per eandem mortem ſibi per nos illatam liberavit nos à morte, cum tamen meriti fuiſſemus pro tali facto mortem æternam.

## CONSIDERATIO X.

### *Quod in vulneribus Christi relucent Angelicæ Hierarchiæ.*

1. Relucent in vulneribus Christi Angelicæ Hierarchiæ omnes. Prima Seraphinorum, Cherubinorum, & Thonorum, quia in vulneribus elucet *omnis charitatis perfectio, omnis scientiæ plenitudo, & Throni veneratio.* In vulneribus Christi locavit Deus thronum suæ gloriæ, & in iisdem judicabit Mundum in die Iudicii: *Apparebit Dominus Iesus in vulneribus suis, clamabit dicens: videte qualia à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum: & tamen ingrati omnia contemsistis, & pro nihilo pœnam & ignominiam meam duxistis. Ite ergo maledicti in ignem æternum.*

2. Istic resplendet Hierarchia Do-

Dominationum, Poteſtatum & virtutum. namque per illa meritus eſt Dominium ſuper omnes creaturas. Superavit poteſtatem Luciferi. *& ibi fuit virtus cordium penetrativa & attractiva. cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.*

3. Iſtic reſplendet Hierarchia Principatuum, Archangelorum & Angelorum. Vnde certius auxilium Regnis, Vrbibus & hominibus ſingulis ſperari poteſt, quam à vulneribus Salvatoris?

## CONSIDERATIO XI.

### *De memoria vulnerum Chriſti.*

1. NEceſſaria eſt frequens memoria vulnerum Chriſti, quia abſque memoria ſubſequi non poteſt imitatio, qua deficiente non fit applicatio meritorum per gra-

 tiam,

tiam. Quemadmodum pictor imitari non poteſt aut effingere imaginem, quam non videt: ita imitari non poſſumus virtutes & vulnera Chriſti, niſi prius ea oculo memoriæ & conſiderationis attentè contemplemur.

2. Ad hanc memoriam ipſe nos Chriſtus invitat: *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ*, id eſt *exceſſus* amoris & doloris, quem ſentio in meis vulneribus. Reſpondeat anima fidelis: *Memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea*: hoc eſt, ab attenta & crebra memoria vulnerum mortificabitur in me, & quaſi extinguetur omnis affectus terrenæ concupiſcentiæ. Deficit affectus ſuperbia ex conſideratione Chriſti crucifixi, & vulnerati. Deficit ſpiritus avaritiæ ad aſpectum paupertatis Chriſti crucifixi.

3. Praxis hujus memoriæ ſic à S. Bernardo deſcribitur: *Depinge tibi quaſi ante oculos Dominum in Cruce*

*Cruce pendentem, & nunc pro clavis, nunc pro lancea ſuſpirabis, & gratias ages:* nunc apud manuum, nunc apud pedum vulnera veniam quæres. Hanc vitam vivebat Stephanus Abbas: *Die nocteque nihil aliud aſpicio, niſi Dominum meum Ieſum Criſtum in Cruce pendentem.*

## CONSIDERATIO XII.

### *De gratitudine, quam vulneribus Chriſti debemus.*

1. GRatitudo ſecundùm S. Thomam conſiſtit in intellectu, lingua, & opere. Intellectu rimando, & æſtimando magnitudinem beneficii; voce laudando, & agendo gratias benefactori, opere retribuendo juxta virium qualitatem. Hos tres actus debemus Chriſto pro beneficio vulnerum, primò æſtimando donum valoris & pretii

 infiniti.

infiniti. Secundò reddendo infinitas laudes in refusionem gratiarum Tertiò patiendo & agendo pro ipso, & si fors obtigerit, *Sanguinem sanguine compensando.*

2. Cum aliquando S. Mechtildis à Domino exquireret, quid agere tantum posset, ut se pro beneficio vulnerum gratam ostenderet, apparuit ei Christus, & dixit: Pro vulneribus pedum offeres mihi omnes tuos affectus, & desideria; pro vulneribus manuum offeres actiones tuas, & passiones; pro vulnere lateris perfectam conformitatem cum voluntate mea.

3. Considera sententiam S. Bernardi: *Gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit.* Defluit ex vulneribus sanguis pro te, sed non in te, nisi tu facias eum per gratitudinem recurrere ad principium suum. Fons misericordiæ, quem gratus animus scaturire è latere Christi facit, exsiccatur per ingratitudinis culpam.

CON-

## CONSIDERATIO XIII.

### *Invitatio ad intrandum in vulnera Christi.*

1. O *Cæcitas filiorum Adæ*, exclamat S. Bonaventura, *qui per hæc vulnera in Christum nesciunt intrare. An ignoratis quod Christus est gaudium Beatorum? cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire?*

2. *Ecce aperta est janua Paradisi; ecce lignum vitæ tam in ramis, quàm in stipite perfossum. in quibus foraminibus nisi pedes, id est, affectus posueris, non poteris capere fructus ejus.*

3. *Ecce apertus est Thesaurus divinæ sapientiæ, & charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, & cum cognitione magna delicias obtinebis.* replebitur intelle-

lectus lumine cœlesti, & affectus consolatione æterna.

## CONSIDERATIO XIV.

### *Modus intrandi in vulnera Christi.*

1. NOn possumus corpore, aut Anima intrare, ut notat S. *Bonavẽtura*: sed puro spiritu, qui est pars superior animæ secundùm intellectum & voluntatem. Hic spiritus, secundùm eundem, debet esse *in spiritu, & supra spiritum, & sine spiritu*; hoc est, elevatus supra corpus, supra animam, & sine se transformatus in Deum. ut dicat cum Propheta: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Ad hanc elevationem, & separationem erigendi sunt oculi amanti crucifixum, & vulnera per assiduam orationem & mortificationem, petendumque à Domino ex pleno affectu, *qui ubi vult,*

*vult, ſpirat; pertingens uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus.*

2. Anima hoc modo ſpiritualis effecta ulterius progredietur intrando, ut idem Bonaventura docet, non ſolùm *mittendo manum ſuam in latus ejus; ſed per latus ingrediendo ad cor ejus, ubi clavis amoris affixa, & lanceâ charitatis transverberata nihil aliud deſideret, quam in cruce mori cum Chriſto, & exclamare cum Paulo. Chriſto confixus ſum cruci: vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

3. Vbi ingreſſa fuerit anima in vulnera & latus Chriſti, excœcatis eo ſanguine oculis, & ligata vinculis charitatis, non exibit illinc in æternũ. Id ſibi accidiſſe narrat Bonaventura. *Oculis ſanguine repletis, vinculis charitatis ubiq; circumflexus reverti nequivi.* Cogita *quantum, & ex quãto* paſſus eſt, & quo amore; videbiſque majus fuiſſe vulnus quod ab amore accepit, quam quod à fer-

ro, lancea, clavis. Quare rogabis ejuſdem amoris jaculis configi.

## CONSIDERATIO XV.

### *De cœleſti converſatione, quæ in Chriſti vulneribus invenitur.*

1. TAnta eſt inter domicilium vulnerum, & domicilium Cœli unio & conformitas; ut qui in uno eſt, etiam ſit in altero, quique ſe inter anguſtias vulnerum arctat, dilatat in amplis & delicioſis Cœli campeſtribus. Deſideravit Moyſes, & à Deo petiit Cæli gloriam, ut faciem ejus intueretur, reſponſumque ei à Domino: *Eſt locus apud me, ponam te in foramine petræ.* Vt me videas, capies domicilium meo proximum in petra perforata, quæ Dominum vulneratum ſignificat. Namque ex humilitate vulnerum cognoſcitur maje-

majeſtas gloriæ, & poſteriora, non facies. quia *per fidem*, *& non per ſpeciem.* Itaque ex uno diverſorio ſecuro paſſu in aliud tranſitur, quique habitat in vulneribus, habitat pariter in Cælo.

2. Quis non miretur, quod in Cælo habitet devotus civis vulnerum; Namque converſatio conformanda eſt ſtatui; & verò virtus vulnerum apta eſt amantem ſuum efferre ſupra ſtatum humanum, Angeliſque imò & Deo aſſimilare. *Suum meditatorem alienat, & non ſolùm facit Angelicum, ſed divinum.* Vive itaque fœlix in vulneribus.

3. Legimus Simeonem Stilitam immerſum in vulnera Chriſti penè hominem exuiſſe; exceſſerat humanas vires, quando *immoto corpore & animo* ſuis pedibus totos dies, & noctes, & annos inter frigora & æſtus ſtetit. Nec converſatio à ſtatione degener erat; Nam ut in ejus

vita legitur, *continuè Cœlum ſpectabat.*

## CONSIDERATIO XVI.

### *Quod vulnera Chriſti animam ſatiant.*

1. IN vulneribus Chriſti reperit anima, quidquid in ſuum auxilium & confortationem deſiderare poteſt. Verè enim cum ſancto Ambroſio dicere poſſumus: *Omnia habemus cum Chriſto, & Chriſtus eſt nobis omnia,* in vulneribus ſuis. *Si febribus æſtuas, fons eſt: ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt: ſi indiges auxilio, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt.*

2. Cauſa & principium omnis noſtri boni eſt divinitas, & ſpiritus vivificus & deificus Chriſti: verùm hic ſpiritus non influit niſi in proprium corpus, & propria vulnera.

*Anima*

*Anima non vivificat, niſi proprium corpus*; ait Auguſtinus, *& corpus meum non vivit de ſpiritu tuo, nec corpus tuum de ſpiritu meo. vis ergo & tu vivere de ſpiritu Chriſti? eſto in corpore Chriſti.* Habita tam cogitatione, quam affectu in ſanctiſſimis vulneribus, & particeps fies divinorum effectuum, *& Chriſtus in ſuis vulneribus erit tibi omnia.*

3. *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio*; per vulnera, inquit Apoſtolus, idque & *per modum meriti* ob gratiam capitalem; *& per modum exempli*, cum ſint noſtræ ideæ, *& per modum finis*, quia quod ſumus & facimus, ordinandum eſt ad honorem & gloriam ſanctiſſimorum vulnerum.

CON-

## CONSIDERATIO XVII.

### *De affectu admirationis, quem vulnera Christi causant.*

1. CVm Prophetæ Abacuc revelatum fuiſſet myſterium vulnerum Chriſti ( *cornua in manibus ejus, id eſt, in cornibus crucis confixæ ſunt manus Chriſti* ) exclamavit, *Timui*, timore reverentiali, aut ut alii legunt, *Expavi*, *extra me factus ſum* præ ſtupore, & admiratione. Quod ſi admiratio *eſt actus voluntatis conſequens apprehenſionem objecti excedentis noſtrum intellectum*; quot nominibus relucet in vulneribus Chriſti. ſiquidem ſuperat noſtram capacitatem hinc dignitas perſonæ, illinc vilitas ſupplicii: hinc acerbitas pœnæ, illinc magnitudo amoris & præmii infinitudo.

2. Sit

2. Sit autem hæc admiratio affectiva & transmutativa. *omnes mirabantur, sed non omnes convertebantur*. admirabantur opera Christi, sed non sequebantur Exempla. Spectatores mirabilium Christi *admirarentur, si imitarentur* patientiam & charitatem Christi. *Noli vivere sine vulnere, dum Christum vides vulneratum.*

3. Hunc adfectum admirationis exercebat SS. Virgo Maria, *quando stabat juxta Crucem* contemplando benedicta vulnera Filii. Vacabat, inquit Cajetanus, *contemplationi admirativæ. conferendo summa prius visa cum infimis*, gloriam divinitatis Christi cum pœna Humanitatis.

## CONSIDERATIO XVIII.

### *De memoria vulnerum Christi in sacrificio Missæ.*

1. FInis sacrificii Missæ est applicatio meritorum vulnerum Christi. Quantum enim meruit Christus in sacrificio cruento Crucis; tantum applicatur & impetratur in sacrificio incruento Missæ. Hic affectus universalis est, atque ad omnes diffunditur. Peccatoribus impetratur remissio culpæ, & pœnæ: justis augmentum gratiæ, animabus Purgatorii gloria essentialis, Sanctis in Cælo gloria accidentalis, Sanctissimæ Trinitati manifestatio sanctissimi ejus nominis.

2. Intuere tempore Missæ Christum crucifixum cum vulneribus, ex quibus copiosus undique sanguis profluit ad sanctificandum omnem Mundum. Sanguis vulneris, quod in

in ſiniſtro pede, manat in ſalutem peccatorum; qui dextri eſt pedis, in refrigerium animarum Purgatorii. Qui à dextrâ manu profluit, pro ſummo Pontifice; qui à ſiniſtrâ, pro Imperatore, & ſtatu temporali; ſanguis lateris fluit honori & gloriæ ſanctiſſimæ Trinitatis, & totius Cœleſtis curiæ.

3. Sacerdos, ceu Mediator inter Deum & populum, in Miſſa fungitur officio Legati miſſi à populo ad impetrandum à Deo per merita ſanctiſſimorum vulnerum gratiam, ſanctitatem, & gloriã. Has tres voces (gratiam, ſanctitatem, gloriam) inſcribe Domine in memoriali tuo propter vulnera Chriſti: Gratiam pro peccatoribus, ſanctitatem pro juſtis, gloriam eſſentialem pro animabus purgatorii, accidentalem & extrinſecam pro SS. Trinitate, & Beatis Cæli. Nec abs re faciemus, anima mea, ſi recurrerimus ad interceſſionem ſanctiſſimæ Matris di-

cendo: *Sancta Mater iſtud agas, crucifixi fige plagas toti Mundo validè.* Eadem oratione uti poſſunt, qui ſacro interſunt.

## CONSIDERATIO XIX.

### *De corde, quod vulneribus Christi ſauciatum eſt.*

1. CVm veritate dici poteſt, quod cor Chriſti vulneribus ſaucium beatum ſit. Sunt enim vulnera Chriſti ſigna noſtræ prædeſtinationis, pignora noſtræ gloriæ, arrha beatitudinis.

2. Hoc amoris vulnus, quo cor noſtrum ſaucium eſt, efficitur à memoria continua vulnerum, & ab actibus fidei, ſpei, & charitatis ad illa. Credo in vos vulnera benedicta, ceu in redemptionem, & pretium noſtræ ſalutis. Credo in vos, ceu in capitalem ſummā noſtrorum meritorū, & amo vos ceu teſtimonia

nia evidentiſſima charitatis Chriſti.

3. *O vulnera, quæ corda ſaxea vulneratis, & mentes congelatas inflammatis; quæ pectora adamantina liquefacitis præ amore. Vita, dulcedo, & ſpes noſtra.* Venite, ferite, vulnerate, feriendo redintegrate, & mortem afferendo donate vitam æternam.

## CONSIDERATIO XX.

### *De imitatione vulnerum Chriſti.*

1. IMitatio Chriſti crucifixi, & virtutum ejus neceſſaria eſt animæ *in actu*: Paſſionis verò, & vulnerum corporis *in præparatione animi.* quia, ut docet S. Thomas, filius adoptivus aſſimilari debet quam maximè filio naturali, & membra capiti. Nec Paſſio Chriſti, ceu cauſa univerſalis effectum ſortitur, abſque cooperatio-

ne hominis, ut causæ particularis.

2. Ideo exhortatur nos S. Petrus: *Charissimi, nolite peregrinari in fervore*; aut, ut alii legunt, *nolite mirari in ustione*. Cum in Schola Christi necessaria sit passio; nolite mirari, quando velut ab igne, mortificatione adurimini. *Sed Christo in cruce passo eadem cogitatione, & imitatione armemini.*

3. Arca, in qua conservatur gratia, duabus clavibus diversis custoditur, neque una absque altera aperiri potest. Hæ sunt Crux nostra, & Christi: vulnera Christi, & nostra. Clavis Passionis Christi semper parata est, sed necesse est ei nostram uniri, quod est cooperari & compati.

## CONSIDERATIO XXI.

## *De fine conſiderationis vulnerum Chriſti.*

1. SEcundùm S. Bonaventuram conſiderari debent vulnera Chriſti *ad imitandum, & compatiendum.* Hæc ſit noſtra conſolatio, ſubdit idem, progreſſus in hac imitatione, ex qua naſcitur condolentia ſentiens dolores perſonæ amatæ, & per imitationem expreſſæ, ceu proprios.

2. Meditanda ſunt *ad admirandum, & exultandum.* Admiranda immenſa charitas Dei: exultandum de fructibus vulnerum, de redemptione generis humani, reſtauratione naturæ Angelicæ, & gloria Dei.

3. Conſideranda ſunt *ad reſolvendum & quieſcendum*; ſe in Chriſtum transformando, & quieſcen-

do in ejus ſanctiſſimis, & dulciſſimis vulneribus, abſque ulla alia ſolicitudine.

## CONSIDERATIO XXII.

### *De occupatione in vulneribus Chriſti.*

1. NEceſſe eſt, ut docet S. Bonaventura, animam interiore aliquo exercitio diſtineri, quo diem fallat, & ſepoſitis aliis *negotium ſuum agat*; quod, ut docet Apoſtolus, eſt noſtræ ſalutis, & perfectionis negotium. Hæc autem interna occupatio conſiſtit in devota conſideratione, & meditatione vulnerum Chriſti, curſando de vulnere in vulnus variis conſiderationibus & affectibus, quos Spiritus ſanctus ſuggeſſerit. Nunc meditando dolorem, aliàs amorem, valorem aliàs. Inſuper in vulnere pedis ſiniſtri conſidera tua peccata, eorumque veniam per

per illud precare. In vulnere pedis dextri conſidera pulchritudinem virtutum humilitatis, puritatis, obedientiæ, patientiæ, & perſeverantiæ. Eaſdem à Deo interpoſito dicti vulneris pretio precare. In vulnere manus ſiniſtræ meditare pœnas inferni, petendo ab eis liberationem. In vulnere manus dextræ contemplare gloriam Paradiſi, illamque poſtula. Ad extremum in vulnere lateris meditabere, & petes ſanctum, & purum amorem Ieſu, Mariæ, & proximi.

2. Occupari potes in devotione erga Beatiſſimam Virginem, conſiderando eam *juxta crucem cum Filio, & quos Deus conjungit, homo non ſeparet.* Eſt Chriſtus carne pendens, Maria corde. Chriſtus habet vulnera corporis, Maria animæ. Chriſtus eſt Martyr Fidei, quia mortuus pro veritate noſtræ fidei; Maria Martyr amoris, quia mortua amore, & deſiderio Filii. *Ieſus & Maria ſint*

*ſemper tecum in via, in omni loco, & in omni tempore bona cuſtodia, Amen* *In omni loco* , præcipuè in Cruce, ſanctiſſimo Sacramento, in Cœlo. *In omni tempore* , maximè autem cum anima eſt libera ab aliis occupationibus. His adjunge praxim jaculatoriarum, neque hanc neglige, qua magnus Dei ſervus eſt uſus. *Ieſus, Maria amores mei dulciſſimi; patiar ego, moriar ego amore veſtri: totus ſim veſter, & nullo modo meus.*

3. Hæc in Chriſti vulneribus, & doloribus. B. Virginis ibidem commorantis occupatio habet Echo, & reſonantiam à gloria Cœli: *Secundum multitudinem*, aut ſecundum menſuram *dolorum lætificant conſolationes.* Præterea in conſideratione humilitatis Crucis erigere ad conſiderationem gloriæ. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloriâ, & honore coronatum. Et videmus Mariam juxta nominis etymologiam*

*logiam crucifixam, & exaltatam in gloria ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna in dextra Filii.*

## CONSIDERATIO XXIII.

## *Qualiter S. Mater meditabatur vulnera Chriſti.*

1. MVltorum opinio eſt, quod ſicut Chriſtus in ſua Sanctiſſima Paſſione, *habuit ſimul ſummum gaudium* & *ſummum dolorem*; ita ſanctiſſima Virgo in condolendo patienti Filio ſenſerit ſimul *ſummam compaſſionem, & ſummam congratulationem.* Compatiebatur paſſioni Filii; & de ejus fructu lætabatur. Ad quod alludens S. Ambroſius dicebat: *Maria ſtetit juxta Crucem non ut Filii paſſionem videret, ſed ut Mundi redemptionem expectaret.*

2. Alia mente ſunt alii Doctores, arbitrantur enim animam ſanctiſſi-

ctiſſimæ Virginis taliter immerſam fuiſſe in vehementiam dolorum Filii, ut ad fructus paſſionis nec attendere quidem potuerit.

3. Imitabere utrumque Virginis ſtatum, nunc tuus dolor erit pura condolentia, modò ſocium aſſumet gaudium, & congratulationem. Revelavit benedicta Mater S. Brigittæ, omnem ſuam vitam mixtam fuiſſe doloribus, & conſolationibus. Doloribus propter vulnera Filii: conſolationibus, quod noſſet eam eſſe Dei voluntatem, cedereque in ſalutem hominum. *Quando conſiderabam locà clavorum in manibus, quas ſecundum Prophetas crucifigendas audivi: tunc oculi mei replebantur lachrymis, & cor meum quaſi ſcindebatur præ triſtitia. Sed conſolabar, cum conſiderabam potentiam Deitatis ejus, & quod ipſa ſic vellet & ſic expediret: & ſic erat ſemper lætitia mea mixta cum dolore.*

## CONSIDERATIO XXIV.

### *Quod per vulnus lateris intratur in Cor Christi.*

1. PORta, per quam intratur in amantissimum cor Iesu, est latus lanceâ apertum. Nonnulli dicunt vulnus fuisse inflictum sinistro lateri, in quo cor residet; eodemque vulnere & latus, & cor fuisse sauciatum. Vulgatior tamen sententia est, fuisse in dextro, idque ipsum indicat sacra sindon, & pictura: fuit nihilominus tam profundum hoc in latere dextro vulnus, ut ad cor pertigerit, viamque sibi ad illud patefecerit.

2. Verùm hoc cordis Christi domicilium non petit alium incolam, quam tuum cor, *Fili, præbe mihi cor tuum*, ut illud in meo collocem. O fœlix unio, jucunda possessio, felicissima in corde Christi commora-

tio! Verè cor noſtrum ſemper famelicum, & inquietum nullo alio ſaturari, in nullo conquieſcere poteſt, præterquam in corde Chriſti, ceu centro ſuo. Sit inter utrumque cor proportio, & ſimilitudo; ceu inter locum, & locatum. Cor Chriſti, ut S. Bernardus ait, fuit bis ſauciatum; primò amore, dein dolore; primò ſpiritualiter, dein corporaliter; primò oculis ſponſæ, dein ferro lanceæ. Quam ob cauſam bis replicat vocem, *Vulneraſti*, cum dicit: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum.* ac ſi apertè diceret: *Quia Zelo amoris tui vulneraſti me, lanceâ quoque militis vulneratus ſum: &, vulneratur lanceâ furoris, qui prius vulneratus fuit lanceâ amoris.*

Simili modo ut cor tuum ſit dignum corde Chriſti, duplici vulnere hiet, amoris & doloris. prius autem quam recipias vulnus à ferro, fateare te vulneratum amoris telo.

telo. *Vulnerata charitate ego ſum.*

3. Hæc eſt cauſa, inquit S. Bernardus, ob quam Martyres erant in tormentis veluti inſenſibiles; neque enim amplius vivebant, ſed erant amore mortui. *Terrentur Martyres, rident: feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? quia morte charitatis emortui nec minas, nec mortem ſentire potuerunt.* O felix mors amoris, quæ te inſenſibilem in tormentis, & tyrannis inſuperabilem facit. *O bona Mors*, proſequitur Bernardus, *vitam conferens; bona mors, mortem contemnens.*

Ad hanc mortem aſpira anima mea, petendo illam à Domino quam efficaciſſimè. quin, ut mortua, te ſepeli in nobili illo ſplendore cordis Chriſti. Prius tamen lavare in ſanguine & aqua, quæ fluunt ex latere, & cum S. Bernardo precare: *Lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; ut*

*purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare. O quam bonum! O quam jucundum habitare in corde Iesu! bonus thesaurus; bona margarita, quam fosso agro corporis Iesu inveniemus.*

## CONSIDERATIO XXV.

### *De conditionibus Sanguinis ex vulneribus Christi manantis.*

I. VIdit Ioannes fluvium, qui irrigabat, & fœcundabat Civitatem Dei. *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ*, quæ habebat tres conditiones. Prima, quod esset aqua mundissima, & purissima, ceu crystallus. *splendidun tanquam crystallum.* Secunda, quod exibat è sede Dei, & Agni. *Procedentem è sede Dei, & Agni.* Tertia, quod ab utraque

utraque parte fluminis visebatur lignum vitæ. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ.* Per hunc fluvium alii intelligunt Spiritum sanctum, qui à Patre, Filioque procedit: alii gratiam Spiritus sancti, alii gloriam. Nos aliis mysticis sensibus omissis, per aquas hujus fluminis intelligemus sanguinem è vulneribus Christi fluentem, & universam Civitatem Dei fœcundantem. Ab hoc enim sanguine originem ducit, quidquid est in Paradiso pulchrum, vernans. In illo reperiuntur tres explicatæ conditiones. 1. est purissimus, quia & est compositus ex sanguine purissimo Virginis, & est unitus personæ Verbi, qui est ipsa per essentiam puritas. Ipsa denique innocentia Christi nec volentis, nec valentis contrahere maculam, quid nisi puritatem sanguinis hujus docet? Secundo hic sanguis non procedit à puro homine, sed ab homine Deo, *Dei & Agni.* Tertio circum-

datur ligno vitæ, fructus enim sanguinis est gloria, & vita æterna.

2. Considera ubinam sit vera beatitudo hujus vitæ. *Beati*, subdit Ioannes, *qui lavant stolas, & animas suas in sanguine Agni.* quod fit consideratione affectus plenâ, & meditatione vulnerum & sanguinis Christi, *ut sit potestas eorum in ligno vitæ.* in virtute enim illius sanguinis fruentur ligno vitæ beatæ, & æternæ. *Et per portas*, quæ sunt ipsa vulnera, *intrent in Civitatem* beatæ patriæ.

3. Apparuit in visione juveni cuidam elegans civitas supra montem posita, sed vallata & custodita magno flumine. Hinc alliciebat amœnitas loci, illinc absterrebat fluvius pertranseundus. Dum circumspicit dubius, ecce videt quosdam homines in eodem flumine lavantes vestimenta, quos quidam vultu & habitu dissimilis adjuvabat. Rogavit qui essent, quidve agerent; ad quem ille

ille dissimilis: Civitas illa Cœlum est. hi lavant *stolas suas in sanguine Agni*, ut purgati, & per pœnitentiam mundi effecti digni sint, qui in Civitatem sanctam admittantur. *Ego sum Iesus Christus, sine cujus auxilio nemo salvari potest. Si vis ad illum locum pervenire, hæc est via.* His dictis evanuit visio, juvenis verò Monasterium adiit, factusque Religiosus agnovit præsentes Religiosos eos esse, quos ad fluvium in visione viderat, lavantes *stolas suas in sanguine Agni* mediâ pœnitentiâ, & mortificatione.

## CONSIDERATIO XXVI.

## *De sanguine sanctissimorum vulnerum Christi.*

1. SAnguis Christi in scriptura sub Symbolo, & figura mellis exprimitur. *De petra melle saturavit eos.* explicat S. Thomas, *dul-*

*cissimo sanguine vulnerum Christi.* Generat hæc hujus mellis dulcedo in anima contemptum rerum terrenarum, & desiderium cœlestium. Expertus id est ille, qui aliquando gustato sanguine vulnerum Christi tam ineffabilem sensit dulcedinem, ut omnium rerum creatarum gustum perdiderit, & sola deinceps cœlestia ei arriserint.

2. Est sanguis Christi noster potus, nostrum pretium, noster advocatus apud Patrem cælestem. *O sanguinem Christi summè honorandum in altari poculum, in Cruce pretium, in Cœlo pro nobis ad Deum Patrem advocatum.*

3. Est medicina nostrorum vulnerum. *Filius Dei jubetur occidi, ut vulneribus nostris pretiosi sui sanguinis balsamo mederetur.* Eodem aperit nobis portas Cœli. quare S. Hieronymus eum vocat clavem Paradisi. *Sanguis Christi clavis est Paradisi.* Est certa contra hostes nostros victo-

victoria. S. Edmundus Epiſcopus Conturbienſis dæmonem in virtute ſanguinis Chriſti adegit ad ſignificandum ſibi, quo potiſſimum modo ſuperari poſſet. *Adjuro te per aſperſionem ſanguinis Chriſti, in quo facilius te vincere poſſum.* reſpondit dæmon, Deo ſic ordinante. *In eo, quod nominaſti.* Illius ſanguinis virtute facile vincor.

## CONSIDERATIO XXVII.

### *De clavis, quibus vulnera reſerata.*

I. REpertos à S. Helena clavos, cauſam vulnerum Chriſti, accepit Conſtantinus filius, & unum quidem galeæ ſuæ innexuit, alterum fræno equi ſui, tertium in mare Adriaticum demiſit. Primus erat ad tutelam contra inimicos: Secundus, ut equum regeret; Tertius, ut mare placaret, & (quod præſtitit) navi-

navigabile redderet. Eoſdem effe-
ctus in nobis efficiet memoria cla-
vorum illorum. Primò tuebitur ca-
put noſtrum, hoc eſt, ſuperiorem
partem intellectus, & voluntatis a
inſultibus noſtrorum inimicorum.
Secundò conſtringet, & refrenabi
noſtros ſenſus. Tertiò vigente ha
memoria non mergemur à tempe
ſtatibus hujus Mundi: quin inſta
pontis, & ponti erunt ad tranſpor
tandum nos, & noſtra in cæleſten
gloriam.

2. Non permiſit Chriſtus evell
clavos à manibus, aut pedibus, ni
poſt mortem, ut doceret nos, *quo*
*non eſt tempus in hac vita evellend*
*clavos de Cruce*, reſervetur id in al
teram vitam.

3. Naturâ ſuâ duri ſunt clavi, ſe
hebetati ſunt dulcedine carnis &
ſanguinis Chriſti. *Clavi ſunt, ſed re*
*tuſi in ſanguine Chriſti.* Ideo cani
Eccleſia, *dulce lignum, dulces clavos*
dulcedinem induerunt clavi, à qu
aperue

aperuerunt vulnera, & ſe immerſerunt in ſanguinem Chriſti, qui eſt fons perennis omnis ſuavitatis, & dulcedinis.

## CONSIDERATIO XXVIII.

### *Quod vulnera Chriſti immutavere clavos in claves Paradiſi.*

1. CLavis reſerans eſt clavus penetrans; ait Bernardus. quilibet clavus Chriſti eſt reſerans, & penetrans. reſerat, & penetrat. Et reſerat, quia penetrat: neque unus effectus ab altero ſeparatur. Eſt clavis, & clavus. Eſt clavis, quia tibi reſerat Cœlum: Eſt clavus, quia tibi carnem ttansfigit. Quod ſi mortificationem clavi fugis, ſcito te conſolationem clavis quoque perditurum.

2. Conſidera virtutem, & efficaciam ſanguinis Chriſti. Ferrũ, quod eſt inſtrumentum mortis, immerſum in illum divinum ſanguinem effici-

efficitur nuncius vitæ, & clavis Paradisi. Si conspectus te ferri terret, consideratio sanguinis restituat animum, & consoletur. Ingrediatur ferrum, sed cum sanguine, & vulnus non mortis, sed vitæ erit causa.

3. Quid cogitas? si in Christo *non fuit clavus tantum reserans, sed etiam penetrans; oportuit enim pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; an aliam in te legem sperabis, volesque claves absque clavis? Hanc ergo, ut veritatem certissimam, animo tuo insculpe. Clavus tribulationis cum patientia supportatæ est clavis Paradisi; neque ulli clavis erit Paradisi, nisi sit prius clavus tribulationis. *Non est clavis referans, nisi prius sit clavus penetrans.* Sustinuit S. Carolus à clavo in processione sibi pedem transfigi, ut tolerato clavo mereretur agnoscere clavem. Arbitrare hæc tibi à clavo tribulationis dici. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

*Suſtine, & ſalvaberis. Suſtine clavum, & habebis clavem.*

## CONSIDERATIO XXIX.

## *De Lanceâ, quæ latus Chriſti adaperuit.*

1. VSi ſunt lanceâ milites aperiendo latus Chriſti, ut intelligerent, an obiiſſet; & ſi adhuc ſupereſſet, ut eo vulnere deſineret ſpirare. Infixa eſt lancea lateri cum magno furore & rabie, ſic ut *per aliam partem corporis videretur lancea pertranſire: & pervenit uſque ad cordis ipſius transfixionem, ut daret quidquid reſederat ſanguinis in corde.* Dedit ergo Chriſtus omnem ſanguinem, etiam modicam illam portionem, quæ ad cor confugerat.

2. Miles vulnerans dicitur fuiſſe Longinus, *qui tactu ſanguinis Chriſti, cum eſſet altero oculo privatus, illuminatus eſt extra, & intra lumi-*

*ne fidei, & Episcopus fuit & Martyr* Lancea benedicta, clavis Cœli, quæ aperiendo cor Christi, etiam Cœlum nobis aperuisti.

3. Transfixit lancea carnem, & cor Christi, ossium tamen nullum fregit. *Os non comminuetis ex eo.* Os Symbolum est divinitatis, quæ in Passione fuit impassibilis. significabat insuper sanctos Martyres perduraturos in persecutione absque confractione, animatos exemplo Christi. Tertiò significat ipsas Christi virtutes, quæ nunquam in tantis doloribus defecêre; non potentia non charitas in proximum & sic de reliquis.

## *De Corona sanctissimorum Vulnerum.*

COntinet hæc corona in se quinque decades, quarum quælibet divisa est in quinque *Pater noster,* & quin-

quinque *Ave Maria*. In *Pater noſter* conſiderabis dolores Chriſti; in *Ave Maria* dolores Beatæ Virginis. Adhæc in quolibet vulnere nova gratia, novumque beneficium petitur; in vulnere pedis ſiniſtri remiſſio peccatorum, in vulnere dextri acquiſitio virtutum, maximè fortitudinis adverſus tentationes: in vulnere manus ſiniſtræ liberatio ab inferno, in dextra adeptio gloriæ; in latere purus amor Ieſu, & Mariæ. In fine cujuſlibet decadis dices: *Sancta mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide, Amen.*

## *De modo dicendi Coronam ſanctiſſimorum vulnerum per actus internos.*

Corona vulnerũ etiam dici poteſt mentaliter cum variis actibus

intellectus & voluntatis. In quolibet vulnere elicies tres actus intellectus, considerando amorem, dolorem, & valorem illius vulneris; & tres actus voluntatis agendo gratias, de quibus dictum in corona vocali.

In quinque signaculis elicientur pariter alii quinque actus juxta modum sequentem.

1. In signaculis primæ decadis vulneris pedis sinistri elicies quinque actus confusionis tui ipsius. Primò cognosces te eum, qui es; nihil, infirmum, peccatorem. Secundò æstimabis te talem. Tertiò, desiderabis, ut talem de te opinionem alii habeant. Quartò, confundes te coram omnibus creaturis, considerando in qualibet id, quod à Deo habet; in te verò id, quod à te habes. Quintò, cum omni patientia supportabis omnem adversitatem, dicendo cum bono latrone: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus*;

*pimus*; imò *inferiora meritis*, ut qui infernum meruimus.

2. In ſignaculis ſecundæ decadis pedis dextri alios quinque actus imitationis Chriſti elicies. Primò, quod eum imitabere in Zelo propriæ perfectionis. Secundò, in Zelo ſalutis, & perfectionis proximi. Tertiò, in Zelo gloriæ Dei. Quartò, quod vives cum Chriſto in cruce. *Chriſto confixus ſum cruci.* Quinto cupies mori pro Chriſto. *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

3. In ſignaculo tertiæ decadis vulneris manus dextræ elicies hos quinque actus amoris Dei. Primò, approbabis in animo. Secundò, læ-taberis. Tertiò, deſiderabis omnem honorem extrinſecum omnium creaturarum. Quartò, conformabis te ſanctiſſimæ ipſius voluntati. Quintò, deſiderabis ipſum videre, & eo frui facie ad faciem.

4. In ſignaculis quartæ decadis

vulneris manus ſiniſtræ elicies quinque actus amoris proximi. Primò, conſiderabis eum, ut Filium Dei, ut Fratrem Chriſti redemptum pretioſo ejus ſanguine, ut templum Spiritus ſancti. Secundò, deſiderabis illi omne bonum. Tertiò, propones te ei benefacturum verbo, & opere, conſideratis hiſce Chriſti verbis: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quartò, procurabis ſalutem animæ ejus. Quintò, offeres pro ipſo vitam tuam.

5. In ſignaculis ultimæ decadis vulneris lateris Chriſti elicies quinque actus deſiderii vitæ alterius. Primò, contemptus vitæ præſentis, ut vilis & momentaneæ. Secundò, æſtimationis alterius, ut infinitæ, & æternæ. Tertiò, eam à Domino petes. Quartò, offeres in pretium quinque vulnera Chriſti. Quintò, diriges omnes cogitationes, verba, & opera *ad Majorem Dei gloriam ad vitam æternam.*

Pro-

Propoſitum, quod ex hac meditatione excerpetur, erit perfecta obſervatio illarum trium vocum, *Inſpice, abſtine, & ſuſtine.* Inſpicies cogitatione vulnera Chriſti, ac veluti inhabitabis. Abſtinebis earum amore ab omni dulcedine, & conſolatione creata. ſuſtinebis hilariter adverſa *in ſanguine Chriſti, & gratia Mariæ.*

## *Salutatio Sanctiſſimorum vulnerum Chriſti.*


1. O *Salutifera vulnera dulciſſimi mei Ieſu Chriſti! ſalvete, ſalvete, ſalvete in omnipotentia Patris, qui vos dedit; in ſapientia Filii, qui in vobis ſuſtinuit, in benignitate Spiritus ſancti, qui in vobis noſtræ redemptionis opus perfecit.* His verbis devota quædam à Deo aſpirata, ſalutabat vulnera ſanctiſſima Salvatoris.

2. Salvete monumenta charitatis,

testimonia obedientiæ, signa visionis paternæ, & pretia redemptionis humanæ. Salvete fortitudo Martyrum, patientia Confessorum, gaudium Apostolorum, gloria sanctorum omnium.

3. *Salvete, salvate.* Sanctificate animas nostras in potentia Patris, in sapientia Filii, in bonitate Spiritus sancti. Salvate nos ab æterna damnatione, & sanctificate nos in vestra dilectione; cum abundantia vestrarum gratiarum in hac vita, & cum plenitudine gloriæ in altera, Amen.

# AD LECTOREM.




*Congregationis nuper in Belgio, & aliis Provinciis inſtitutæ & Pacto firmatæ devotionem ut promoveas, Lector pie, ſuadeo. Inibis ſocietatem,*

*tatem, si leges sequentes servaveris. Prima, quotidie semiquadrantuli spatio aliquam de Christi doloribus considerationem ex priori libelli parte, vel ex suppositis usurpa. Secunda, sub finem considerationis aliqua precatiuncula ad ideam mox subjiciendæ, Christum Deum roga, ut Confœderatorum nomina in suis descripta Vulneribus legat, & protegat. Tertia, Quos commodè potes, ad Pacti societatem invita. En Leges.*

*Admissio expressa non est necessaria. qui tres illas conditiones amplectitur, occultè paciscitur, & fit confœderationis particeps.*

ORA-

# ORATIO PACTI.

MAnus tuæ Domine, fecerunt nos; manus, inquam, illæ, quæ affixæ clavis ſunt pro nobis: opera manuum tuarum ne deſpicias; vulnera manuum tuarum, precor, ut inſpicias: ecce in manibus tuis deſcripſiſti nos, Domine Ieſu, lege ipſam ſcripturam, & ſalva nos. O bone Ieſu, exaudi nos; intra vulnera tua abſconde nos: ne permittas nos unquam à te ſeparari; in hora mortis voca nos: ut cum ſanctis tuis miſericordias tuas in æternum cantare poſſimus, Amen.

# AFFECTUS VIRTUTUM.
## EX CONTEMPLATIONE CHRISTI CRUCIFIXI.

## DIE SOLIS.

## Deteſtatio Peccatorum.

*QVid ſunt plagæ iſtæ, Domine Ieſu, in medio manuum tuarum? His domi tuæ plagatus ſum, his me plagaverunt peccata tua.*

*Dilecta Anima, quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te? (imò quid potui facere tibi, & non feci?) reſponde mihi. Cur igitur tot me vulneribus affeciſti?*

*Ah, Domine Ieſu, cur te offendi? ah ſi te nunquam offendiſſem!*

Timor

## Timor Dei.

*ATtende quàm gravia oportet fuiſſe vulnera, pro quibus neceſſe fuit Dominum noſtrum Chriſtum, & tali quidem modo, vulnerari!* Bern.

*Anima peccatrix, noli flere ſuper me; ſed ſuper teipſam fleto, & ſuper actus tuos: quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

*Confige, Domine, timore tuo cor meum, & carnes meas: à judiciis enim tuis, & ô quantum à ſuppliciis tuis! timui.*

# DIE LVNÆ.

## Fiducia.

*QVi etiam proprio Filio non pepercit, quomodo non cum illo nobis omnia donavit?* Rom. 8.

*Attendamus ad judicium dilectionis, & promiſſionis Dei. Quales ar-*

*rhas accepimus? tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Si non amaret, talia pignora non daret.* August.

*Tradidisti pro nobis Filium, Pater; ut omnis qui credit in illum, non pereat. Credo, Domine, non pereat servus tuus, quem sic amasti.*

## Humilitas.

*SIc exinanivit semetipsum Deus Majestatis; ut humiliari disceret Pulvis & Nihil.*

*Dominus Iesus Christus inter plagiarios, patibularios, sceleratos deputatur. Et ambiat Christianus magnus inter homines reputari?*

*Intolerandæ superbiæ est, ut ubi Majestas humiliatur, Vermiculus infletur, & intumescat.* Bern.

*Vicisti, Domine Iesu, vicisti superbiam meam humilitate tua.* Guerr. Abb.

DIE

## DIE MARTIS.

### Mansuetudo.

*DIsce à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

*Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me; Dedi percutienti me maxillam, &c.*

*Inspice, & fac secundùm exemplar.* Exodi 25.

*Si ego Dominus, & Magister tuli pro te probra, colaphos, patibulum; & tu debes pro me levem injuriam, & contemptum pati.*

*Iesu patientissime, doce me patientiam.*

### Abnegatio Amoris sensualis.

*DOmine Iesu, plus quinque plagarum millibus steterunt voluptates tuæ. Et juvet vel eo pretio voluptatem mercari?*

*Quot vulnera, tot ora, quibus te*

*Dominus Iesus rogat, ut ab hac cogitatione, vel actu impuro abstineas. An tam æquam Dei tui petitionem repudiabis?*

*Deus meus pendet in patibulo; & ego voluptati operam dabo?* Bern.

*Absit, Domine, absit. Non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum.*

## DIE MERCVRII.

## Obedientia.

H*Vmiliavit semetipsum Dominus Iesus, factus pro nobis obediens usque ad mortem. Quousque tu hactenus pro illo factus obediens?*

*Quid magnum, si tu, qui Pulvis es, & Nihil, propter Deum te homini subdis; quando ego omnipotens, & Altissimus me homini propter te humiliter subjeci?* Th. à Kempis.

*Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm* in Forma Dei *esset, non rapinam arbitratus est esse*

*esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, pro nobis* Formam Servi *accipiens.* Philip. 2.

*Servus tuus sum, Domine, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

## Compassio.

E*Go Vir Dolorum. Imò tu Vir Amorum; nam per tua Vulnera, patent, ô Christe, tui Amoris viscera.*

*Attende & vide, si est dolor similis, sicut dolor Domini Iesu pro nobis consputi, colaphis, ac flagellis cæsi, spinis coronati, crucifixi!*

*Eia Mater fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.*

## DIE IOVIS.

## Gratitudo.

E*Go nunquam obliviscar tui: ecce enim in manibus meis descripsi*

*te : & potes unquam tu mei oblivisci?*

*Hæc ego pro te. Quid tu hactenus pro me? quid modo? quid deinceps? Nondum usq; ad sanguinem restitisti.*

*Domine Iesu, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti animæ tuæ unicæ propter me.* Hîc virile propositum institue.

*Charitas tua, Domine Iesu, urget nos, ut jam non sibi vivant servi tui; sed ei, cui plus mille vitas debent, qui pro ipsis mori dignatus est.*

## Resignatio in Adversis.

SIc, *non potes unâ horâ infirmari, mortificari, tentari, adversâ fortunâ laborare mecum?*

*Tristis es & desolatus: sed nunquid ut ego? nunquid usque ad mortem, usque ad sudorem sanguineum?*

*Hæc oportuit me pati, & ita intrare in gloriam meam. Vin' igitur tu gratis intrare in alienam?*

*Pater, si possibile est, transeat à me*

*me calix iste: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

*Nolo, Domine, nolo vivere sine vulnere, quia te video vulneratum.* Bonav.

## DIE VENERIS.

### Perfecta sui oblatio.

*EN ego totus tuus. Quando tu totus meus? cur non hactenus? cur non saltem modo?*

*Nihil me impedivit, quo minus essem totus tuus: Non flagra, non patibulum, non cœlum, non divinitas. Quid te impedit, quo minus sis totus meus?*

*An vel post tantos amores dubitas, ne quid mali ex me tibi eveniat? quid igitur hæres? da totum pro toto.*

*Dominus meus, & Deus meus. Tu totus meus, ego totus tuus. Et cujus potius?*

## Charitas.

SIc Deus dilexit mundum: sic te dilexit.

*O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ô inæstimabilis dilectio charitatis! ut Servum redimeres, Filium addidisti.*

*Pater Sancte, tantus amor non sit cassus.*

*Dilecta anima, dubitas etiamnum an te diligam? accede, introspice, lege in intimo cordis mei: Deus tuus moritur amore tui.*

*Quid amas, ô anima mea, cùm Iesum crucifixum amas?*

## DIE SABBATI.

## Zelus Animarum.

*COntemplare, dilecta anima, ut clament ad te vulnera mea: ne scilicet frustra sanguinem fuderim.* Ita Christus S. Ludgardi.

*Dominus Iesus, ut lucretur animas, non aspernatur formam servi. immò*

*immò nec fatui, latronis, patibularii. Quam tu animarum causa formam respues?*

*Quam pretiosa es, ô Anima, quam tanto pretio emit Deus tuus?*

*Et ecce, Domine Iesu, in Sanguinis tui opprobrium, iis ipsis animabus infernus impletur,* S. Xaverius.

## Desiderium Æternorum.

*Quid tibi promisit Deus, ô Homo mortalis? quia victurus es in æternum. Non credis? crede, crede. Plus est jam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? ut vivas cum illo. Incredibiliùs est, quod mortuus est æternus; quam ut in æternum vivat mortalis.* August.

*Iesu, nostra redemptio, amor, & desiderium; Deus creator omnium, homo in fine temporum.*

*Quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina, crudelem mortem*

*tem patiens, ut nos à morte tolleres :*
*Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra*
*superes, parcendo, & voti compotes*
*nos tuo vultu saties.* Hymn. Eccl

Hauriemus aquas in Iubilo è fontibus Dei Salvatoris.

FINIS.

ORA

# ORATIONES
## De myſteriis Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

### DIE DOMINICA.

*DOmine Ieſu Chriſte, qui hora veſpertina cœnam ultimam cum Diſcipulis in cœnaculo grandi ſtrato feciſti, & eos ſacratiſſimo corpore & ſanguine tuo cibaſti; fac pectus meum cœnaculum grande ſtratum, amplifica fidem, ſpem, & charitatem in corde meo: magnifica longanimitatem, patientiam & humilitatem. Da mihi, ut te, quem cœli & terræ non capiunt, pro modulo ſuo capiat cor meum contritum & humiliatum, ut per inhabitantem gratiam tuam omnia tibi placen-*

*placentia cogitem & perficiam, & omnia tibi contraria odiendo declinem, & ſic perſeverando uſque in finem conſequar dignam ſacroſancti corporis & ſanguinis perceptionem. Amen.*

*IEſu mitis & veræ humilitatis exemplum, qui laviſti pedes Diſcipulorum tuorum, peto & obſecro purga meos affectus: ut utroque pede, gemina videlicet charitate purgatus & accenſus ad te purificatorem meum accedam ſecurus. Purifica me in finem dierum & emunda ab omnibus maculis peccatorum, ut dimiſſis negligentiis & peccatis meis, Infernales inimici die mortis confuſi abſcedant, qui meum calcaneum obſervabunt. Dirige Domine pedes meos in viam pacis, ut de manibus omnium inimicorum liberatus benedicam te cum electis tuis omnibus in ſæcula ſæculorum.*

DOmine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui pro me misero peccatore imminente passione tua in horto pavere & mœstus esse voluisti; Da mihi omnes tristitias meas ad te Deum cordis mei jugiter dirigere. Tu eas Domine in unione tuæ passionis & tristitiæ mecum digneris sufferre, ut mihi merito passionis tuæ reddantur salutares. Amen.

DOmine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui in oratione positus ab Angelo confortari voluisti, factusque in agonia guttas sanguinis mirabiliter sudasti; Da mihi per virtutem orationis tuæ, ut oranti mihi semper assistat Angelus tuus sanctus, qui me confortet, quatenus recordatione Passionis tuæ, & dulcedine tua Divina saporatus, lacrymarum guttas pro sanguine in conspectu tuo merear dulciter desudare.

IEsu, qui ab uno Discipulorum tuorum vendi & vilipendi pretio vili triginta argenteorum voluisti: Da mihi pro nulla re transitoria te Deum Creatorem meum nequiter commutare, vilipensiones quoque meas pro tui Nominis gloria æquanimiter tolerare. Amen.

IEsu, qui à Iuda osculo tradi pertulisti, da mihi nunquam in proximo, vel in meipso te tradere, ac calumniatoribus meis fructum amoris officium non denegare.

IEsu, qui electos Discipulos tuos omnes à te fugere permisisti; suscipe me fugitivum servum tuum secundum virtutem omnipotentiæ tuæ, neque sine me abs te propriæ voluntatis arbitrio evagari.

IEsu, qui iniquorum manibus ligari voluisti, absolve quæso meorum vincula peccatorum, atque ita chari-

*charitatis vinculo præceptorum tuorum funibus me conſtringe, ne unquam membra corporis, aut vires animæ meæ laxentur ad ea, quæ ſunt contraria tuæ Divinæ voluntati.*

*IEſu, qui vinctus ut malefactor armata manu iniquorum ad impia tribunalia contumeliis, probriſque affectus duci voluiſti; Da mihi gratiam, ut ad nullum peccatum à ſpiritu maligno vel homine malo, ſed Spiritu tuo bono deducar ad omnia tuæ Divinæ beneplacita voluntati. Amen.*

## DIE LVNÆ.

*IEſu, qui ad Annam duci eique præſentari voluiſti, da mihi propter te non formidare præſentari, vel adduci ulli poteſtati hujus ſeculi: domineturque in me ſemper tua gratia atque ratio, ut ſic diſcam omnes actus meos, voluntates & deſideria, priuſquam in opus exeant, ad examen rectæ rationis te duce præſentare.*

IEsu, qui ab Apostolorum tuorum Principe ter negari te passus es quem postea misericorditer respicien reatum suum amarè flere fecisti; re spice me quæso oculo tuæ clementiæ, u ego peccata mea coram oculis tuis va leam digne deflere, & te Dominum Deum meum nunquam vel verbi vel factis denegare. Amen.

IEsu, qui pro me indignissimo al Annæ ministro cœdi crudeli alapa voluisti; da mihi quæso gratiam tu am, quæ me à tua laude nunquam cessare faciat, & ab omni non solum pernicioso, sed etiam otioso sermone compescat. Amen.

IEsu, qui pro me apud Caipham à Iudæis criminari atque falsis testimoniis accusari voluisti; da mihi amore tui neminem criminari, neque ulli falsam calumniam inferre, & illatas pro honore tuo æquanimiter tolerare. Amen.

I *Esu, qui blasphemiæ crimen falso tibi imponi pertulisti. Custodi me, ne unquam nomen tuum verbo, vel facto blasphemem, & blasphematores à tanta impietate, tua fretus gratia, revocare possim. Amen.*

I *Esu, qui profanas impiorum voces & clamores, quibus te reum esse mortis conclamarunt, æquanimiter patienterque tolerasti; custodi me Domine, ne unquam in oculis tuis æternæ mortis reus inveniar. Amen.*

I *Esu, qui à Iudæis propter me colaphizari voluisti, da mihi sic te ore confiteri, ut contrariis operibus te nullatenus colaphizem. Amen.*

I *Esu, qui pro me Iudæorum sputis faciem tuam pulcherrimam maculari voluisti; da mihi tuæ imaginis faciem in me nunquam meis fœdis actibus aut cogitationibus inquinari. Amen.*

*IEsu, qui pro me Iudæorum manibus faciem tuam speciosissimam cædi voluisti; Da mihi imaginis tuæ faciem in me semper illæsam illibatamque conservare, ne unquam iniquitatum mearum sceleratis manibus violetur. Amen.*

## DIE MARTIS.

*IEsu, qui faciem tuam gratiosissimam, in quam Angeli desiderant prospicere, pro me velari permisisti; illustra quæso faciem tuam super me indignum servum tuum, ut imago sanctissimæ Trinitatis non possit obscurari. Tolle à me, ô bone Iesu, velamen culpæ & ignorantiæ, cordisque mei tenebras luce tuæ cœlestis gratiæ clementer illustra. Amen.*

*IEsu, qui ludibriis & alapis Iudæorum crudeliter in capite percussus prophetare consultus es; prophetiza mihi, ô bone Iesu, ut cognoscam quis &*

*& qualis ego sim miser, qui toties manu pravi operis, ceu me miserum, te percussi. Amen.*

I *Esu, qui coram Pilato constitutus falso accusari voluisti; doce me iniquorum fallacias evitare & fidem tuam bonis operibus veraciter profiteri. Amen.*

I *Esu, qui propter me ab Herode derisorie multis interrogari sermonibus voluisti, nec illi respondere curasti; Da amore tui sermones derisorios patienter audire, meamque jactantiam cum silentio abscondere. Amen.*

I *Esu, qui coram Herode constitutus pro me falsas criminationes pati, easque ne minimo quidem verbo refellere voluisti; Da mihi iniquorum nunquam injuriis perturbari, nec sacra mysteria indignis propalare. Amen.*

IEsu, qui ab Herode & exercitu suo pro me sperni non es dedignatus; Da mihi mundanum fastum pro te despicere, & iniquorum despectum pro justitiæ defensione non curare. Amen.

IEsu, qui pro me veste alba indui & ut stultus ab Herode illudi voluisti; Da mihi mundi hujus prudentiam, quæ stultitia apud te est, cautius declinare, & ad te, qui vera es sapientia, pura mente feliciter pervenire. Amen.

IEsu, qui pro me ab Herode ad Pilatum remitti, ac per hoc inter eos amicitiam fieri voluisti; Da mihi iniquorum adversum me conspirationes non timere, sed eorum exercitatione sic proficere, ut tibi merear conformari. Amen.

IEsu Christe Fili Dei vivi, qui hora diei tertia pro salute humani

*generis non es dedignatus à Iudæis reprobari petentibus sibi Barabbam latronem dimitti, te verò Auctorem vitæ crucifigi; Da mihi te Creatorem meum præ omnibus & semper eligere, ac pro nulla re creata unquam reprobare. Amen.*

## DIE MERCVRII.

*IEsu, qui pro me vestimentis tuis exui, & ad flagella nudari voluisti; Da mihi nuda peccatorum meorum confessione veterem hominem cum omnibus actibus suis exuere, & in conspectu tuo nunquam nudum virtutibus apparere. Amen.*

*IEsu, qui pro me ad columnam ligari atque flagellari crudeliter voluisti; Da mihi flagella tuæ paternæ correctionis libenter suscipere, & te peccatis meis in posterum nunquam flagellare. Amen.*

IEsu, qui veste purpurea illusoriè pro me indui voluisti; Da mihi jugem tuæ passionis memoriam induere & peccata mea charitatis purpura operire. Amen.

IEsu, qui spinis coronari voluisti; Fac me pœnitentiæ spinis sic dignè compungi, ut à te merear in cælestibus coronari. Amen.

IEsu, qui arundinem pro sceptro in dextera tibi dari voluisti; imbecillitatem meam quæso dextera tuæ potentiæ sic sustentare digneris, ut in me regnum tuum jugiter confirmetur & stabiliatur. Amen.

IEsu, qui pro me genu flexo à militibus; Ave Rex Iudæorum dicentibus, irrisoriè adorari & salutari voluisti; Da mihi te Deum meum verum adorare in spiritu & veritate, ac te solum Regem meum venerabiliter salutare. Amen.

Iesu,

I*Esu, qui à militibus faciem alapis cædi, & caput tuum venerandum arundine percuti voluisti, da mihi te caput nostrum sacrosanctum per inanem vanamque vivendi rationem non offendere, sed placitis tibi moribus semper deservire. Amen.*

I*Esu, qui à sceleratis militibus mei amore tuam deliciosam faciem conspui pertulisti; Da mihi faciem tuam in sacramento Eucharistiæ aliqua sumptione indigna nunquam polluere, nec conscientiam immundis cogitationibus defœdare. Amen.*

I*Esu, qui cum illusionis insigniis pro me Iudæis ostentari voluisti; da mihi ostentationem vanæ gloriæ devitare, & eisdem insigniis jam mysticis ante conspectum tuum in extremo judicio apparere. Amen.*

DIE

# DIE IOVIS.

*IEsu, qui pro me terribiles Iudæo-rum voces; Crucifige, crucifige cla-mantium audire non timuisti; D. mihi inimicorum maledicentia atqu calumnia non terreri, & verbo no-cumentum proximo meo nunquan inferre. Amen.*

*DOmine Iesu Christe Fili Dei vi-vi, qui pro me misero peccatore ante tribunal Præsidis adduci, ejusque judicio sisti voluisti; Da mihi in tri-bunal mentis conscendere, meque ip-sum de culpis meis conscientiæ testimo-nio districtius judicare, judicium quo-que tuum tam patienter hic subire, ut in extremo judicio possim securus apparere.*

*IEsu, qui sententiam damnationis ad mortem, mortem autem Cru-cis innocenter pro me subire dignatus es, Fac*

*es, Fac me mortis etiam crudelissimæ sententiam, tui amore, iniquaque hominum judicia non extimescere, neque alios sinistre judicare. Amen.*

I*Esu, qui pro me misero peccatore Crucem tuam propriis humeris bajulare voluisti; Fac me Crucem mortificationis sponte complecti, eamque post te amore tui quotidie bajulare. Amen.*

I*Esu, qui pro me duci in Golgotha ad crucifigendum voluisti; deduc me in semitam mandatorum tuorum, ut cum sanctis mulieribus tuæ sequar vestigia passionis, ac super meipsum miseriam propriæ conditionis assiduè fleam. Amen.*

I*Esu, qui pro me ante Crucem vestibus exspoliari & nudari voluisti; fac me rebus omnibus creatis, quatenus saluti meæ adversantur, nudari, ut nudus te in Cruce nu-*

*dum sequi & consequi promerear. Amen.*

*IEsu, qui in Cruce pro me adeo atrociter extendi voluisti, ut omnia ossa tua dinumerari potuerint; fac me omnia membra, viresque corporis & animæ meæ ad laudem tui Divini nominis extendere, atque impendere. Amen.*

*IEsu, qui durissimis clavis pro me Cruci affigi voluisti, atque Chirographum peccatorum nostrorum & mortis eidem Cruci affixisti; Confige quæso sancto tuo timore carnes meas, ut præceptis tuis firmiter inhærens semper Cruci tuæ confixus sim. Amen.*

*IEsu, qui propter me miserum manum tuam sinistram clavo perforari crucique affigi voluisti; Da mihi cuncta mala adversantia in ejusdem manus tuæ dulcissimo vulnere reponere,*

*nere, & in eo contra omnia adverſa ſalutiferum remedium invenire. Amen.*

## DIE VENERIS.

I*Eſu, qui pro me miſero manum tuam dextram clavo perforari, crucique affigi voluiſti, da mihi omnia bona opera, quæ tu in me operaris, in ejuſdem manus tuæ ſacratiſſimo vulnere cum gratiarum actione recondere, cunctaſque negligentias & imperfectiones meas ex hoc ſacratiſſimo vulnere perfici atque ſuppleri. Amen.*

I*Eſu, qui pro me ſacratiſſimos pedes tuos clavo duriſſimo perforari crucique affigi voluiſti; Da mihi quotieſcunque pravis cogitationibus, affectibus ſeu deſideriis ſiniſtris impugnatus fuero, ad vulnus ſiniſtri pedis tui recurrere, & inde ſalutaria medicamina haurire. Amen.*

IEſu, qui ſalutifero vulnere pedis tui dextri fontem nobis gratiæ tuæ ſcaturire feciſti; Da mihi omnia bona deſideria mea eidem vulneri tuo amoroſo oſculo infigere, eaque tuis ſanctis deſideriis coaptare. Amen.

IEſu, qui pro me in Cruce levari & ſic à terra exaltari voluiſti; fac me quæſo à terrenis affectibus ſublevari, atque mente in cœleſtibus habitare. Amen.

IEſu, qui pro me miſero peccatori inter duos latrones crucifigi, & cum ſceleratis reputari voluiſti; Da ſpiritum meum in medio carnis & Mundi crucifigi, quatenus extremis mihi crucifixis, in te medio quaſi in centro conquieſcam. Amen.

IEſu, qui tua propter me veſtimenta inter crucifixores dividi, ac ſuper tunicam tuam inconſutilem ſortem mitti voluiſti; Da mihi ſancto-

run

*rum tuorum exempla cum divinorum mandatorum observantia participare; & tuam in me charitatem indissolubiliter conservare. Amen.*

I *Esu, qui pro me tituli triumphalis superscriptione irrisorie diffamari voluisti; Da mihi sub hoc titulo (Iesus Nazarenus Rex Iudæorum) sic strenue militare, ut hoc tuo trophæo (Iesus Nazarenus Rex Iudæorum) hostis perterritus non audeat mihi appropinquare. Amen.*

I *Esu, qui pro me in Cruce positus verbis probrosis illudi voluisti, proque tuis crucifixoribus tam serio Patrẽ exorasti, fac me nulla vel Diabolica, vel humana suggestione de sublimi sanctæ Religionis Cruce descendere, sed in tui amoris amplexu jugiter permanere, cunctisque inimicis parcere, proque ipsis semper orare. Amen.*

IEsu, qui pro me ab uno latrone blasphemari, & ab alio laudari voluisti; fac me pro tui Nominis gloria vituperia & quævis maledicta æquanimiter tolerare, teque cum bono latrone confiteri, ut cum eodem tecum esse possim in Paradiso. Amen.

## DIE SABBATI.

IEsu, qui in Cruce Matrem Dilecto Discipulo, eidemque dilectum Discipulum commendare voluisti; Commendo me tibi, ac omnia mea in illa fide ac dilectione, qua eos sibi invicem commendasti, suppliciter exorans, quatenus ob tantæ dilectionis pignora me facias ad intimum tui amorem pervenire, ac eorum commendatione inter hujus vitæ discrimina ab omni adversitate & periculo custodiri. Amen.

IEsu Fili Dei vivi, qui hora nona pro me misero peccatore pendens in Cruce

*Cruce voce magna ad Patrem clamasti; Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Da mihi in omni tribulatione & angustia ad te Deum meum voce magna cordis mei clamare, ut me nunquam patiaris velut derelictum à tua misericordia reprobāri. Amen.*

I*Esu, qui salutem nostram sitiens, aceto & felle & vino myrrhato potari voluisti, fac me vinum devotionis cum myrrha mortificationis, fel quoque compunctionis ac pœnitentiæ tibi offerre, acetum autem infidelitatis vel scandali nunquam bibere. Amen.*

I*Esu, qui consummationem totius Passionis tuæ pro me Deo Patri offerens dixisti, Consummatum est; Da mihi omnes actiones meas te donante ad laudem tuam consummare, & consummatas per te Deo Patri offerre. Amen.*

*IEsu, qui amore mei in Cruce moriens animam tuam Patri commendasti; Da mihi in hac vita sic tibi spiritualiter commori, ut in hora mortis meæ digneris animam meam miseram tibi habere commendatam, qui nunc vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.*

*IEsu, qui pro me Corporis tui sacratissimi jam emortui latus aperiri voluisti, unde sanguis & aqua in nostram salutem & lavacrum regenerationis effluxit; Vulnera cor meum lancea charitatis tuæ, ut tuis dignus efficiar sacramentis, quæ de hoc sacrosancto latere profluxerunt. Amen.*

*IEsu, qui pro me misero peccatore jā mortuus à Ioseph & Nicodemo de Cruce deponi & aromatibus condiri, & sindone munda involvi voluisti, da mihi de sacro altari tuo, velut de ara Crucis, corpus tuum verum & vivum in Eucharistiæ sacramento*

*mento dignè ſuſcipere, ipſumque virtutum aromatibus condire, ac mundo corde & corpore jugiter conſervare. Amen.*

I *Eſu, qui pro me in monumento novo ſepeliri, & à militibus cuſtodiri voluiſti; Da mihi Deus meus cor novum, ut te in illo recondam, ſemperque cuſtodiam, quatenus tibi conſepultus tecum merear ad reſurrectionis gloriam feliciter pervenire. Amen.*

ORA-

# ORATIONES

## In memoriam ſeptem effuſionum ſanguinis Domini.

## DIE DOMINICA

In memoriam primæ effuſionis ſanguinis D. N. Ieſu Chriſti adverſus peccatum luxuriæ, pro obtinenda cordis munditie.

### ORATIO.

*IEſu benigniſſime, tibi confiteor, teque laudo, qui propter nos omnem miſeriam noſtræ naturæ abſque peccato ſuſcipiens homo factus, mox ubi mundum ingreſſus es, divinæ legi te voluiſti ſubjicere, circumcidique & ſanguinem pro nobis fundere. pro hac charitate & bonitate tua, & pro hac quoque ſanguinis effuſione te adoro, te be-*

*te benedico, tibique gratias ago; & per eandem tui ſanguinis effuſionem te obſecro, ut omnem luxuriæ ſpeciem de corde meo, & de carne mea penitus auferas; ut concupiſcentiam in me carnalem radicitus mortifices, & extinguas: ut in puritate, in mentis caſtiſſima ſimplicitate, & in vera munditia cordis, ut denique in pudiciſſima corporis caſtitate perpetuò tibi, inavertibiliterque adhæream.*

*Ah miſericordiſſime Ieſu, utinam in hac effuſione ſanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentiis meis nunc expiari: quo ex tua miſericordia & gratia, perceptione ſacroſancti corporis, & ſanguinis tui dignus efficiar.*

## DIE LVNÆ.

### In memoriam ſecundæ effuſio
### nis in Monte Oliveti, ad
### verſus peccatum ſuperbiæ
### pro obtinenda virtute Hu
### militatis.

## ORATIO.

*IEſu benigniſſime, Deus meus, ad*
*oro, laudo, benedico te, & gratia*
*tibi ago pro anguſtia, preſſuraque cor*
*dis tui, quam in monte Oliveti inte*
*orandum pertuliſti præmeditans acer*
*biſſimas horrendaſque paſſionis, a*
*mortis tuæ pœnas, & cruciatus tun*
*tibi imminentes, quos juxta natu*
*ram, ſenſualitatemque exhorruiſti*
*rurſuſque ſecundùm rationem tant*
*eaſdem redimendi nos deſiderio con*
*cupiſti, ut contrariis his deſideriis ſi*
*mul compugnantibus, teque in agon*
*interea conſtituto, Sudor ex te decur*
*rere*

*reret ſanguineus. In hac quæſo, Chriſte Ieſu, anguſtia tua, per hanc quoque effuſionem ſanguinei Sudoris tui ex te abundè promanantis; obſecro te, ut omnem ſuperbiam, omneſque ſuperbiæ Species in me conteras, extermines, ac deleas. Infunde mihi quæſo profundiſſimam, perfectiſſimamque humilitatem, quâ peccata mea, ingratitudinemque meam perfectè cognoſcam, odiam, indeſinenter lugeam, me ipſum quoque contemnam, atque ab omnibus contemni diligam.*

*Ah miſericordiſſime Ieſu, utinam in hac effuſione tui ſanguinis merear ab omnibus peccatis, vitiis, & meis negligentiis nunc expiari; quo ex tua miſericordia, & gratia, perceptione ſacroſancti corporis & ſanguinis tui dignus efficiar.*

## DIE MARTIS.

In memoriam tertiæ effusionis sanguinis factæ in flagellatione, adversus peccatum iræ pro obtinenda virtute mansuetudinis.

### ORATIO.

*IEsu benignissime, Deus meus, pro dira flagellatione tenerrimi nobilissimique corporis tui, undique vulnerati, & pro effusione pretiosissimi sanguinis tui, adoro & benedico te, gratiasque tibi ago. Compesce, & extingue in me omnes iracundiæ, impatientiæque motus. Nullum sinas, Pie Iesu, in cor meum intrare, aut morari ibi rancorem, amaritudinem, seu displicentiam. Infunde mihi quæso perfectissimam humilitatem, ac mansuetudinem cordis, quâ cuncta adversa æquanimiter suscipiam, patientissime*

*me ac cum gratiarum actione tolerem, ac me totum tibi resignem, plenè ac funditus relinquam.*

*Ah misericordissime Iesu, utinam in hac effusione sanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentiis meis nunc expiari; quo ex tua misericordia & gratia, perceptione sacrosancti corporis, & sanguinis tui, dignus efficiar.*

## DIE MERCVRII.

In memoriam quartæ effusionis sanguinis factæ in Coronatione spinea adversus peccatum Acediæ, pro obtinendo fervore.

### ORATIO.

*IEsu benignissime, Deus meus, pro acerbissima coronatione spinarum caput tuum compungentium, proque*

*largiſſima effuſione rivulorum ſanguinis tui per genas, oculos, & collum tuum defluentium, adoro, laudo & benedico te, gratiaſque tibi ago, ſuppliciter te rogans, ut omnem acediam, torporem, pigritiam, negligentiamque à me radicitus tollas, devotionem vero ferventiſſimam, alacritatemque Spiritus in tuo maximè ſervitio mihi infundas; ut juſtitiam, virtutem, animarum ſalutem, tui quoque amorem, honorem, ac gloriam tuam cor meum vehementer eſuriat, ardentiſſimeque ſitiat, adeo ut quæ extra te ſunt, cuncta faſtidiam. Tu verò totus perfectiſſimè, ac perpetuò mihi placeas in omnibus, ac ſuper omnia.*

*Ah miſericordiſſime Ieſu, utinam in hac effuſione ſanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis & negligentiis meis nunc expiari, quo ex tua miſericordia, & gratia, perceptione ſacroſancti corporis & ſanguinis tui, dignus efficiar.*

## DIE IOVIS.

### In memoriam quintæ effuſionis Sanguinis factæ in exſpoliatione veſtium, adverſus peccatum avaritiæ, pro obtinendo amore paupertatis.

### ORATIO.

*IEſu benigniſſime, Deus meus, pro veſtium tuarum extractione, pro corporis tui denudatione in oculis hoſtium tuorum, pro tui deriſione, pro vulnerum dolorumque renovatione, pro ſanguinis nobiliſſimi effuſione & conculcatione, adoro, laudo, & benedico te, ac gratias tibi ago, te obſecrans per miſericordiam tuam, ut mundi amore, & omni amore creaturarum, privatoque aut abs te alieno me exuas, prorſuſque liberum facias; quo paupertatem, contemptum, & ſimplicitatem ex animo diligam, deſi-*

*deratiſſimeque ferar ad cæleſtia bona; te vero ſuper omnia æſtuantiſſimis deſideriis concupiſcam.*

*Ah miſericordiſſime Ieſu, utinam in hac effuſione ſanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentiis meis nunc expiari; quo ex tua miſericordia & gratia perceptione ſacroſancti corporis & ſanguinis tui dignus efficiar.*

## DIE VENERIS.

In memoriam ſextæ effuſionis Sanguinis D. N. factæ in perforatione manuum, & pedum; adverſus peccatum Gulæ, ad obtinendam virtutem temperantiæ.

### ORATIO.

*IEſu benigniſſime, Deus meus, pro extenſione membrorum tuorum omnium in cruce, pro perfoſſione crucifixioneque manuum tuarum ac pedum,*

*pedum, pro largissima effusione tui Sanguinis decurrentis è tuis vulneribus, per diutinam crucipendentiam ampliatis, quo crucem rigabas, & terram, adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago, obsecroque ut me ab omni intemperantia, & indiscretione sobrium, & continentem facias, piissime Deus. Cor pacificum, mitissimum, ac benignissimum mihi præbeas, quod pacem diligat, paci studeat, foveat concordiam, schismata & scandala tollat, & ad unionem amoris illam felicissimam, quâ tecum unum efficimur, quâ unus amor, unaque nobis est voluntas, indesinenter aspiret.*

*Ah misericordissime Iesu, utinam in hac effusione Sanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentiis meis nunc expiari; quo ex tua misericordia, & gratia perceptione sacrosancti corporis & Sanguinis tui dignus efficiar.*

## DIE SABBATI.

In memoriam ſeptimæ effuſionis Sanguinis D. N. factæ in apertione lateris, ex quo prodiit ſanguis & aqua; adverſus peccatum invidiæ, pro obtinenda charitate, & miſericordia.

### ORATIO.

*IEſu benigniſſime, Deus meus, pro apertione lateris ac cordis tui mucrone lanceæ vulnerati, pro effuſione Sanguinis & aquæ inde emanantis; adoro, laudo, & benedico te, gratiasque tibi ago, quandoquidem cor tuum tam mihi, quam aliis peccatoribus ad te redeuntibus reſeraſti. Per hujus miſericordiſſimi cordis tui pietatem te obſecro, ut de corde meo auferas omnem livorem, amarulentiam, atque invidiam. Piiſſime Deus, aufer à me cor*

*cor durum & pravum, cor superbum & lividum, & da mihi aut cor tuum, aut cor secundum tuum cor, piissimum, fidelissimum, mitissimum, misericordissimum, humillimum, obedientissimum, omnifaria mortificatione ac resignatione perfectum, fide, spe, & charitate perpetua plenum; quod in te indesinenter teneas absorptum, & ad omnes homines, præsertim ad inimicos dilectione, & miseratione reddas effusum. Amen.*

FINIS.

ORA-

# ORATIO
## Devotissima S. Bernardi ad Iesum Crucifixum.

SCribit B. Hugo Carthusianus in suo hortulo devotionis, quod cum S. Bernardus hanc sequentem Orationem recitaret coram Crucifixo, ad eum se Christus inclinarit, & dulciter amplexus sit. Præterea quod Vrbanus Papa V concesserit omnibus iis, qui prænominatam orationem recitarent cum devotione, 1370 Annos, & insuper 50 dies indulgentiæ. Denique omnes, qui eam cum devotione dixerint, experturos in hora mortis singularem devotionis sensum.

DO-

# DOMINICA.

## Ad Pedes.

*Salve Mundi salutare,*
*Salve Salve Iesu chare,*
*Cruci tuæ me aptare,*
*Vellem verè; tu scis quare,*
*Da mihi tui copiam.*
*Ac si præsens sis, accedo,*
*Imo te præsentem credo:*
*O quam nudum hic te cerno,*
*Ecce tibi me prosterno,*
*Sis facilis ad veniam.*
*Clavos pedum, plagas duras,*
*Et tam graves impressuras,*
*Circumplector cum affectu,*
*Tuo pavens in aspectu,*
*Tuorum memor vulnerum.*
*Grates tantæ charitati,*
*Nos agamus vulnerati,*
*O Amator peccatorum,*
*Reparator confractorum,*
*O dulcis Pater pauperum.*

Quic-

*Quidquid eſt in me confractum,*
*Diſſipatum, aut diſtractum;*
*Dulcis Ieſu totum ſana.*
*Tu reſtaura, tu complana,*
*Tam pio medicamine.*
*Te in tua Cruce quæro,*
*Prout queo corde mero:*
*Me ſanabis hic, ut ſpero,*
*Sana me, & ſalvus ero,*
*In tuo lavans ſanguine.*
*Plagas tuas rubicundas,*
*Et fixuras tam profundas*
*Cordi meo fac inſcribi,*
*Vt configar totus tibi,*
*Te modis amans omnibus.*
*Dulcis Ieſu, piè Deus,*
*Ad te clamo licet reus,*
*Præbe mihi te benignum,*
*Ne repellas me indignum,*
*De tuis Sanctis pedibus.*
*Coram Cruce procumbentem,*
*Hoſque pedes complectentem,*
*Ieſu bone non me ſpernas,*
*Sed de Cruce Sancta cernas,*
*Compaſſionis gratia.*

*In hac Cruce ſtans directè,*
*Vide me ô mi Dilecte,*
*Ad te totum me converte,*
*Eſto ſanus, dic apertè,*
*Dimitto tibi omnia.*

## FERIA II.

### Ad Genua.

*SAlve Ieſu Rex Sanctorum,*
*Spes votiva peccatorum,*
*Crucis ligno tanquam reus*
*Pendens homo verus Deus,*
*Caducis nutans genibus.*
*O quam pauper! ô quam nudus!*
*Qualis es in Cruce ludus!*
*Deriſorum jocus factus,*
*Sponte tamen, non coactus,*
*Attritus membris omnibus.*
*Sanguis tuus abundanter,*
*Fuſus fluit inceſſanter,*
*Totus lotus in cruore,*
*Stans in maximo dolore,*
*Præcinctus vili tegmine.*

*O Majeſtas infinita,*
*O egeſtas inaudita,*
*Quis pro tanta charitate,*
*Quærit te in veritate,*
*Dans ſanguinem pro ſanguine.*
*Quid ſum tibi reſponſurus,*
*Actu vilis, corde durus?*
*Quid rependam Amatori,*
*Qui elegit pro me mori,*
*Ne dupla morte morerer.*
*Amor tuus, amor fortis,*
*Quem non vincunt jura mortis:*
*O quam pia me ſub cura,*
*Tua foves in preſſura,*
*Ne morſu mortis vulnerer.*
*Ecce tuo præ amore,*
*Te complector cum rubore,*
*Me coapto diligenter,*
*Tu ſcis cauſam evidenter,*
*Sed ſuffer & diſſimula.*
*Hoc quod ago, non te gravet,*
*Sed me ſanet & me lavet,*
*Inquinatum & ægrotum,*
*Sanguis hic fluens per totum,*
*Ut non ſuperſit macula.*

*In*

*In hac Cruce te cruentum,*
*Te contemptum & distentum,*
*Vt requiram me impelle,*
*In hac imple meum velle,*
*Facturus quod desidero.*
*Vt te quæram mente pura,*
*Sit hæc mea prima cura :*
*Non est labor, nec gravabor,*
*Sed sanabor & mundabor,*
*Cum te complexus fuero.*

## FERIA III.

### Ad Manus.

*SAlve Iesu Pastor bone,*
*Fatigatus in agone,*
*Qui per lignum es distractus,*
*Et ad lignum es compactus,*
*Expansis sanctis manibus.*
*Manus sanctæ vos avete,*
*Rosis novis adimplete,*
*Hos ad ramos dirè junctæ,*
*Et crudeli ferro punctæ,*
*Tot guttis decurrentibus.*

*Ecce fluit circumquaque,*
*Manu tua de utraque,*
*Sanguis tuus copiose,*
*Rubicundus instar Rosæ,*
*Magnæ salutis pretium.*
*Manus clavis perforatas,*
*Et cruore purpuratas,*
*Corde premo præ amore,*
*Sitibundo bibens ore,*
*Cruoris stillicidium.*
*O quam largè te exponis,*
*Promptus malis, atque bonis:*
*Trahis pigros, pios vocas,*
*Et in tuis ulnis locas,*
*Paratus gratis omnibus.*
*Ecce tibi me præsento,*
*Vulnerato & cruento:*
*Semper ægris militeris,*
*De me ergo ne graveris,*
*Qui præsto es amantibus.*
*In hac Cruce sic extensus,*
*In te meos trahe sensus,*
*Meum posse, velle, scire,*
*Cruci tuæ fac servire,*
*Me tuis apta brachiis.*

*In tam lata charitate,*
*Trahe me in veritate,*
*Propter tuam Crucem almam,*
*Trahe me ad Crucis palmam,*
*Dans finem meis vitiis.*
*Manus ſanctæ vos amplector,*
*Et gemendo condelector,*
*Grates ago plagis tantis,*
*Clavis duris, guttis ſanctis,*
*Dans lacrymas cum oſculis.*
*In cruore tuo lotum,*
*Me commendo tibi totum,*
*Tuæ ſanctæ Manus iſtæ,*
*Me defendant Ieſu Chriſte,*
*Extremis in periculis.*

## FERIA IV.

### Ad Latus.

*SAlve Ieſu ſumme bonus,*
*Ad parcendum nimis pronus,*
*Membra tua macilenta,*
*Quam acerbe ſunt diſtenta,*
*In ramo Crucis torrida.*

*Salve latus Salvatoris,*
*In quo latet mel dulcoris,*
*In quo patet vis amoris,*
*Ex quo ſcatet fons cruoris,*
*Qui corda lavat ſordida.*
*Ecce tibi appropinquo,*
*Parce Ieſu, ſi delinquo,*
*Verecunda quidem fronte,*
*Ad te tamen veni ſponte,*
*Scrutari tua vulnera.*
*Salve mitis apertura,*
*De qua manat vena pura,*
*Porta patens & profunda,*
*Super roſam rubicunda,*
*Medela ſalutifera.*
*Odor tuus ſuper vinum,*
*Virus pellens ſerpentinum,*
*Potus tuus potus vitæ,*
*Qui ſititis, huc venite,*
*Te dulce Vulnus aperi.*
*Plaga rubens aperire,*
*Fac cor meum te ſitire,*
*Sine me in te tranſire.*
*Vellem totus introire,*
*Pulſanti pande pauperi.*

*Ore meo te contingo,*
*Et ardenter ad me ſtringo,*
*In te meum cor intingo,*
*Et ferventi corde lingo,*
*Me totum in te trajice.*
*O quam dulcis ſapor iſte,*
*Qui te guſtat Ieſu Chriſte,*
*Tuo victus à dulcore,*
*Mori poſſet pro amore,*
*Te unum amans unicè.*
*In hac foſſa me reconde,*
*Infer meum cor profundè,*
*Vbi latens incaleſcat,*
*Et in pace conquieſcat,*
*Nec prorſus quemquam timeat.*
*Hora mortis meus flatus*
*Intret, Ieſus, tuum latus,*
*Hinc expirans in te vadat,*
*Ne hunc Leo trux invadat,*
*Sed apud te permaneat.*

# ORATIO V.

## Ad Pectus.

*Salve salus mea Deus,*
*Iesu dulcis Amor meus,*
*Salve Pectus reverendum,*
*Cum tremore contingendum,*
*Amoris Domicilium.*
*Ave Thronus Trinitatis,*
*Arca latæ Charitatis,*
*Firmamentum infirmitatis*
*Pax & pausa fatigatis,*
*Humilium Triclinium.*
*Salve Iesu reverende,*
*Dignè semper inquirende,*
*Me præsentem hic attende,*
*Accedentem me succende,*
*Præcordiali gratia.*
*Pectus mihi confer mundum,*
*Ardens, pium, gemebundum,*
*Voluntatem abnegatam,*
*Tibi semper conformatam,*
*Cum virtutum copia.*

*Iesu dulcis Pastor pie,*
*Fili Dei & Mariæ,*
*Largo fonte tui cordis,*
*Fœditatem meæ sordis,*
*Benigne Pater, dilue.*
*Ave Splendor & figura,*
*Summi Dei Genitura,*
*De Thesauris tuis plenis,*
*Desolatis & egenis,*
*Munus clementer proflue.*
*Dulce Iesu Christi Pectus,*
*Tuo fiam dono rectus,*
*Absolutus à peccatis,*
*Ardens igne charitatis,*
*Vt semper te recogitem.*
*Tu Abyssus es Sophiæ,*
*Angelorum Harmoniæ*
*Te collaudant! ex te suxit,*
*Quod Ioannes cubans suxit,*
*In te fac ut inhabitem.*
*Ave fons benignitatis,*
*Plenitudo Deitatis*
*Corporalis in te manet,*
*Vanitatem in me sanet,*
*Quod tu confers consilium.*

*Ave verum Templum Dei,*
*Precor, miſerere mei,*
*Tu totius Arca boni,*
*Fac Electis me apponi,*
*Vas dives Deus omnium.*

# FERIA VI.

## Ad Cor.

*SVmmi Regis Cor aveto,*
*Te ſaluto corde læto,*
*Te complecti me delectat,*
*Et hoc meum cor affectat,*
*Vt ad te loquar, animat.*
*Quo amore vincebaris,*
*Quo dolore torquebaris,*
*Cum te totum exhaurires,*
*Vt te nobis impertires,*
*Et nos à morte tolleres?*
*O Mors illa quam amara,*
*Quam immitis, quam avara*
*Quæ per cellam introivit,*
*In qua mundi vita vivit,*
*Te mordens cor dulciſſimum.*

*Pro-*

*Propter mortem quam tulisti,*
*Quando pro me defecisti,*
*Cordis mei ô Cor dilectum,*
*In te meum rape affectum,*
*Hoc est quod opto plurimum.*
*O Cor dulce, prædilectum,*
*Munda meum cor illectum,*
*Et in vanis induratum,*
*Pium fac & timoratum,*
*Pulso torpenti frigore.*
*Per medullam cordis mei,*
*Peccatoris atque rei,*
*Tuus amor transferatur,*
*Quo Cor totum rapiatur,*
*Languens amoris vulnere.*
*Dilatare, aperire,*
*Tanquam Rosa fragrans mirè*
*Cordi meo te conjunge,*
*Vnge illud & compunge:*
*Qui amat te, quid patitur?*
*Quidnam agat, nescit verè,*
*Nec se valet cohibere,*
*Nullum modum dat amori,*
*Multa morte vellet mori,*
*Amore quisquis vincitur.*

*Viva cordis voce clamo,*
*Dulce cor te namque amo,*
*Ad cor meum inclinare,*
*Vt ſe poſſit applicare,*
*Devoto tibi pectore.*
*Tuo vivat in amore,*
*Ne dormitet in torpore,*
*Ad te oret, ad te ploret,*
*Te honoret, te adoret,*
*Te fruens omni tempore.*
*Roſa cordis aperire,*
*Cujus odor fragrat mire,*
*Te dignare dilatare,*
*Fac cor meum anhelare,*
*Flamma deſiderii.*
*Da cor cordi ſociari,*
*Tecum Ieſu vulnerari,*
*Nam cor cordi ſimilatur,*
*Si cor meum perforatur,*
*Sagittis improperii.*
*Infer tuum intra ſinum,*
*Cor ut tibi ſit vicinum,*
*In dolore gaudioſo,*
*Cum deformi ſpecioſo,*
*Quod vix ſeipſum capiat.*

*Hi*

*Hic hic pauset, hic moretur,*
*Ecce jam post te movetur,*
*Te ardenter vult sitire,*
*Iesu noli contraire;*
*Vt bene de te sentiat.*

## SABBATO.

### Ad Faciem.

*Salve Caput cruentatum,*
*Totum spinis coronatum,*
*Conquassatum, vulneratum,*
*Arundine verberatum,*
*Facie sputis illita.*
*Salve, cujus dulcis vultus,*
*Immutatus & incultus,*
*Immutavit suum florem,*
*Totus versus in pallorem,*
*Quem cœli tremit curia.*
*Omnis vigor atque viror,*
*Hinc recessit, non admiror,*
*Mors apparet in aspectu,*
*Totus pendens in defectu,*
*Attritus ægra macie.*

*Sic affectus, ſic deſpectus,*
*Propter me ſic interfectus,*
*Peccatori tam indigno,*
*Cum amoris interſigno,*
*Appare clara facie.*
*In hac tua Paſſione,*
*Me agnoſce Paſtor bone,*
*Cujus ſumpſi mel ex ore,*
*Hauſtum lactis cum dulcore,*
*Præ omnibus deliciis.*
*Non me reum aſperneris,*
*Nec indignum dedigneris,*
*Morte tibi jam vicina,*
*Tuum caput hic reclina,*
*In meis pauſa brachiis.*
*Tuæ Sanctæ Paſſioni,*
*Me gauderem interponi,*
*In hac Cruce tecum mori,*
*Præſta Crucis Amatori,*
*Sub tua Cruce moriar.*
*Morti tuæ tam amaræ,*
*Grates ago Ieſu Chare,*
*O mi clemens, pie Deus,*
*Fac quod petit tuus reus,*
*Vt abſque te non finiar.*

*Dum me mori eſt neceſſe,*
*Noli mihi tunc deeſſe,*
*In tremendæ mortis hora,*
*Veni Ieſu abſque mora,*
*Tuere me & libera.*
*Cum me jubes emigrare,*
*Ieſu chare tunc appare,*
*O Amator complectende,*
*Temetipſum tunc oſtende,*
*In Cruce Salutifera.*

## ORATIO
## B. Hugonis Carthuſiani, ad Ieſum Crucifixum.

*IEſu Cor meum offero,*
*Me tibi libens immolo,*
*Totum ut me inhabites,*
*Liberrimeque oneres.*
*Tua profunda Vulnera,*
*Sanguinis ſtillicidia,*
*Cordi meo ſic imprime,*
*Sicque infixa retine.*
*Surdus, cœcus ad omnia,*
*Quæ tibi ſunt extranea,*

*Vt ſim te ſolum diligens,*
*Te Crucifixum ſentiens.*
*Cuncta fac me deſpicere,*
*Meque totum relinquere,*
*Vt tu ſis mihi unicus,*
*Et omnia in omnibus,*
*Amore tui langueat,*
*Mens mea ſemper ardeat.*
*Ieſu te ſolum ſitiat,*
*Et extra te nil ſentiat.*
*Ad aliena ſtupida,*
*In te recurrat ebria,*
*In te dulcis obdormiat,*
*Abſorptaque in te gaudeat.*
*Te ſemper laudans prædicet,*
*Benedicat, glorificet,*
*Pro te mens cuncta perferat,*
*Æqualis in te referat,*
*Amoris me vis penetret,*
*Ignita totum occupet,*
*Exurens me purificet,*
*Transformans & inebriet.*
*Ieſu te ſolum ſentiam,*
*Ex toto corde diligam,*
*Vnum in cunctis videam,*

*Semperque plus proficiam.*
*Fac mundo totus moriar,*
*Absorptus tecum uniar,*
*Egrediens hinc, gaudia*
*Mox ducar ad cælestia.*

## ORATIO
## B. Hugonis Carthusiani ad quinque Vulnera Christi Domini.

### Osculans ter vulnus lateris dices.

*O Benignissime Iesu, gratias ago dulcissimo cordi tuo per hæc tria oscula, pro omni effluxu amoris, qui à te effluxit, effluit, & effluet absque fine in me & in omnes electos tuos.*

### Ad Vulnus manus dexteræ.

*O Benignissime Iesu, gratias ago liberalissimæ dexteræ tuæ, quia*

*ipsa est collatrix & cooperatrix omnium bonorum meorum.*

## Ad vulnus sinistræ.

O *Benignissime Iesu, gratias ago fidelissimæ sinistræ tuæ, quia in omni tribulatione & angustia mea semper tuum in ea invenio refugium.*

## Ad vulnus pedis dextri.

O *Benignissime Iesu, gratias ago tibi pro ferventi desiderio, quo post nos omnibus diebus vitæ tuæ in siti cucurristi.*

## Ad vulnus sinistri.

O *Creator & Redemptor meus, gratias tibi ago pro dulcissimo Vulnere sinistri Pedis tui, quia in eo facillime semper invenire possum remissionem omnium peccatorum meorum.*

*Domine Iesu Christe, da mihi toto corde & pleno desiderio sitientique anima ad te aspirare, & in te dulcissimo ac suavissimo respirare, totumque spiritum meum, & omnia interiora mea ad te, qui es vera beatitudo, anhelare. Scribe misericordissime Domine, vulnera tua in corde meo precioso sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum & amorem. Vulnerum tuorum memoria jugiter in secreto cordis mei permaneat, & dolor passionis tuæ in me quotidie renovetur, & amor accendatur. Da ut mihi omnis creatura vilescat, & tu solus in corde meo dulcescas. Per tuum transvulneratum cor transfige amantissime Domine Iesu, cor meum jaculis amoris tui, ita ut nihil terrenum contineat, sed à sola efficacia tuæ Divinitatis contineatur.*

# ALIA ORATIC
## ad eadem vulnera.

### Ad osculum Pedum.

O *Benignissime Iesu, ego miser pec cator dulcissimis Vulneribus pe dum tuorum hoc osculo infigo & repo no omnia desideria cordis mei, & tu conjungo & unio desideriis, ut exina plene purificata, numquam imposte rum terrenis valeant implicari.*

### Ad osculum Manus dextræ.

O *Benignissime Iesu, in dulcissim Vulnere dexteræ manus tuæ re condo omnia spiritualia mea, & qu in spirituali vita neglexi, ut per t mihi plene restituantur, & conser ventur.*

## Ad osculum manus sinistræ.

*O Benignissime Iesu, in dulcissimo Vulnere sinistræ manus tuæ repono omnes adversitates, & angustias meas: ut in unione amarissimæ passionis tuæ mihi dulcescant, & in summa patientia coram te redoleant.*

## Ad osculum lateris.

*O Benignissime Iesu, in hoc amoris Vulnere omnem amorem & voluntatem meam funditus resigno, & tuo Divino amori & beneplacito unio, ut ex eo perficiatur & in unum amorem & voluntatem penitus transformetur. Amen.*

*Domine Iesu Christe, tuis vulneribus cor meum saucia, tuo sanguine mentem meam inebria, ut quocunque me vertero, semper te videam Crucifixum, & quicquid aspexero, tuo mihi*

*mihi appareat ſanguine rubricatum; ut ſic totus in te tendens nihil præter te valeam invenire, nihil niſi tua vulnera intueri. Hæc mihi ſit conſolatio, tecum mi Domine vulnerari, tecum deſpici, tecum pati. Hæc intima ſit mihi afflictio, præter te aliquid cogitare, aut extra te conſolari. Non quieſcat cor meum bone Ieſu, donec inveniat te centrum ſuum, ubi cubet, ubi requieſcat, ubi ſuum appetitum terminet.*

D*Omine Ieſu Chriſte, in honorem precioſæ mortis tuæ, toto corde & corpore proſtratus, obſecro te per amorem illum, qui te vivificatorem omnium creaturarum mori coegit, ut mortifices in anima mea omnia, quæ tibi diſplicent in ea, & auferas omnia, quæ me impediunt, quo minus transformer in te.*

A*Bſorbeat me quæſo, dulcis Ieſu, ignita & melliflua vis amoris tui, quæ penetret cor meum, purgetque*

&

*& rapiat omnia interiora mea: ut ſicut flamma ardens totus ardeam, totus à meipſo deficiam. Te verò solùm cogitem, te toto corde deſiderem, te ſolum ſciam ac ſentiam, tibi ſoli perfectè placeam, & inſeparabiliter adhæream. Amen.*

## SALVTATIO SS. vulnerum Chriſti.

### Ad dextram Manum.

*AVe Manus dextra Chriſti*
*Perforata plaga triſti,*
*Nos ad dextram jube ſiſti,*
*Quos per Crucem redemiſti.*
Pater noſter. Ave M.

### Ad ſiniſtram Manum.

*AVe Manus Chriſti læva,*
*Sic confixa manu ſæva,*
*Nos ab omni malo leva,*
*Quod produxit mater Eva.*
Pater noſter. Ave M.

Ad

## Ad dexterum pedem.

*AVe vulnus dextri pedis,*
*Pedem mentis piè lædis,*
*Dum ad eam ſæpe redis,*
*Eſto nobis ſpes mercedis.*

Pater noſter. Ave M.

## Ad ſiniſtrum pedem.

*AVe vulnus lævæ plantæ,*
*Qua virtutum creſcunt plantæ*
*Nos ab hoſte ſupplantante*
*Contuere poſt & antè.*

Pater noſter. Ave M.

## Ad vulnus lateris.

*AVe latus perforatum,*
*Vnde fluxit flumen gratum,*
*Præbe nobis conducatum,*
*Ad æternæ vitæ ſtatum.*

Pater noſter. Ave M.

*℣. Vul-*

*℣. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.*

*℟. Attritus eſt propter ſcelera noſtra.*

Oremus.

*DOmine Ieſu Chriſte, qui pro ſalute humani generis quinque vulnera pati voluiſti: tribue quæſumus, ut ob reverentiam illorum vulnerum abſolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præſentem vitam bono fine terminare, & à tuæ dulciſſimæ viſionis contemplatione nunquam ſeparari. Qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

## ALIA DE PASSIONE.

*PRecor te, amantiſſime Domine Ieſu Chriſte, propter illam eximiam charitatem quâ humanum genus dilexiſti, quando tu cœleſtis Rex pendebas in ara Crucis, cum divina charitate, cum mitiſſima anima, cum tri-*

*tristissimo gestu, cum conturbatis sensibus, cum transfixo corde, cum perstrepentibus membris, cum verberato corpore, cum sanguineis vulneribus, cum defluentibus rivis, cum expansis brachiis, cum confixis pedibus, cum extensis venis, cum clamoroso ore, cum rauca voce, cum pallida facie, cum mortali colore, cum lachrymosis oculis, cum vertigine capitis, cum ardenti amore, cum gemebundo gutture, cum sitibundis desideriis, cum amaro gustu fellis & aceti, cum inclinato capite morti obviante, cum divisione tenerrimi corporis & animæ deificæ, cum aperto latere. In ea charitate precor te piissime Domine Iesu Christe qua cor tuum amorosum findebatur ut sis mihi placabilis super multitudine peccatorum meorum, ut compleas in bonis desiderium meum, & bonum ac sanctum finem vitæ meæ, nec non gloriosam, lætamque resurrectionem mihi propter tuam largissimam misericordiam tribuere digneris. Qui vi*

*vis & regnas Deus, per omnia secula. Amen.*

℣. *Proprio Filio suo non pepercit Deus.*

℟. *Sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

## Oremus.

*OMnipotens sempiterne Deus, qui ex nimia charitate unicum filium tuum pro nobis incarnari, nasci, pati, flagellari, crucifigi, & mori voluisti, præsta nobis quæsumus, ut per ejus sacratissima vulnera, quæ pro nobis pertulit, ejus pretiosissimo sanguine purificati à peccatis, erroribus, & negligentiis nostris, tibi Domino Deo nostro placiti Templum Spiritus sancti & Patriæ cælestis participes efficiamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

# EXHORTATIO S. Bonaventuræ ad meditationem Paſſionis D. N.

*IN Paſsione Domini,*
*Qua datur ſalus homini,*
*Sit noſtrum refrigerium,*
*Et cordis deſiderium.*
*Portemus in memoria,*
*Dolores & opprobria,*
*Chriſti coronam ſpineam,*
*Crucem, clavos, & lanceam,*
*Et plagas ſacratiſsimas,*
*Omni laude digniſsimas,*
*Acetum, fel, arundinem,*
*Et mortis amaritudinem.*
*Hæc omnia nos ſatient,*
*Et dulciter inebrient,*
*Nos repleant virtutibus,*
*Et glorioſis fructibus.*
*Te crucifixum colimus,*
*Et toto corde poſcimus,*
*Vt nos ſanctorum cœtibus,*
*Conjungas in cæleſtibus.*
*Laus, honor Chriſto vendito,*
*Et noſtri cauſa prodito,*
*Paſſo mortem pro populo,*
*In aſpero patibulo, Amen.*

# HYMNI

## *De Passione Domini nostri Iesu Christi.*

COllecti ex R. P. Ioanne Hondemio Anglo Ordinis Divi Francisci. Vixit is, ut plerique censent, circa annum Domini 1350. & Christi vitam ac passionem cygno suavius, longè mellitissimis cecinit rhythmis, merisque scaturientibus deliciis. In quorum laudem (ut ait Petrus Tectorinus in exemplari excuso Gandavi anno 1516. 3 de oratore) vel lapides ipsi, si loqui possent, linguas solverent. Mirè est patheticus; & ut persæpè raptus videtur ipse, ita & se legentem rapit. Verbo dicam: Seraphicum planè effectum spirat.

## *Exhortatio ad meditandam passionem Domini nostri Iesu Christi.*

MOnstrosum cor jure crederis,
Dum in ejus morte non frangeris,
Cujus ita tu corde conderis,
Vt non spernat pro te vim funeris.
Quem revera si rediligeres,
Aut migrasses, aut migrans fieres,
Aut compassum migrantem plangeres,
Ne non amans amantem lęderes.
Plange sponsi turtur exequias,
Turtur non es, si te non crucias,
Voluptatum æstus abjicias,
Et te solo fletu reficias.
Sustentare pane dolentium,
Et te liget juge cilicium,
Fletus fluat ad instar imbrium,
Et cor gignat dulce suspirium.
Velle genas, & cor eviscera,
Carnis libro dum legis vulnera,
Cum

Cum attendis in carne tenera
Desævire furoris funera.
Os ad loca clavorum adplices,
Favos sugens, flores multiplices,
Fontis hauri fluentes latices,
Et amarum haustum multiplices.
Verè prudens apis efficeris,
Si sacratos hos succos suxeris,
Favum mellis divini congeris,
Vitæ flori dum sic inhæseris.

## *De vinculis Christi.*

VInclis Princeps diris addiceris,
Et ut latro ligatus dûceris,
Lator vitæ qui dum sic læderis,
A læsura nos sanas sceleris.
Vincla regem vincentem vinciunt,
Et à vinclis victos eripiunt,
Adæ primi vincla se quatiunt,
Adam novum cum nexus ambiunt.
Vincla, Vincla, nostis quem stringitis?

Nostis, inquam, in quo vos jungitis?
Ejus certè, quem sic affligitis,
Myrrha prima stillat de digitis.
Ligaturis caro comprimitur,
Et sub ungue cruor congeritur,
Cum rubore livor adducitur,
Quibus unguis totus conteritur.
Cum liventem unguem hunc video,
Et perfusum ut rore roseo,
Cur non statim colore liveo?
Et fluenti fletu me misceo?
Cum te lumen ligatum videam,
Opto quod tunc dolore peream,
Et cum luce ligata langueam,
Vt doloris languore transeam.
Quis donabit, ut luctus onere
Fatigatus possim deficere,
Dum donatur mihi recolere
Regem victum pro furum scelere?
Vincla mea qui fers in manibus
Tuis rogo me liga funibus,
Fac perfundi me fusis fletibus,
Doli-

Dolituros tuis doloribus.
Qui vinciris, ut vinctos liberes,
Tui nexus ense me vulneres,
Cordis petram, & saxum superes,
Et mucrone languores laceres.

## *De alapa Christo inflicta.*

VVltũ, summæ quo sunt deliciȩ,
Quo refloret flos amicitiæ,
Colaphizat genus perfidiæ,
Gens ingrata, fomes infamiæ.
Cum te, gena, cæsam meminero,
Si plus vivam, indignè vixero,
Cum rubentem ictum te videro,
Sum dolendus, nisi doluero.
Gena Cœli diescens cibus,
Erubescis & rubes ictibus,
Te depinxit cælis crudelibus
Rubor duplex, causis duplicibus.
Ictum nec non erubescentia,
Simul rubes ô gena Regia,
Et pallori nostro remedia

Tui

Tui donat ruboris gratia.
Pudor pœnam revera ſuperat,
Et plus Regem pium exaſperat,
Qui cum cædi ſilenter ſuffe-
rat,
Fit ut agnus quem lictor lacerat.
Genæ tuæ quaſſatio,
Noſtri vultus eſt reformatio,
Et ruboris iſta perfuſio,
Genæ noſtræ coloratio.

## *De Chriſti flagellatione.*

VIrgis cædunt manus ſpurcitiæ,
Carnem caram, carentē carie:
Carnis rivus rubeſcit ſauciæ,
Et elanguet flos frontis regiæ.
Plauſus plorat, luget lætitia:
Sanitatis languet conſtantia,
Mixta livent pallore lilia,
Infirmatur firmans cœleſtia.
Ora pallent exhauſto ſanguine,
Gigas gemit naturæ geminæ:
Fortis certat acri certamine,
Fatigatur pugil luctamine.

Vt sub sole tristi nascentia,
Pressa gelu, pallent rosaria,
Regis languent ora vernantia,
Et exanguis frons livet regia.
Sed, Rex pie, cur non compatior,
Cum te dolat manus immitior?
Adamante nonne sum durior,
Qui cruore mersus fit mollior?
Mors & dolor, simul irruite,
Et cor mihi rogo confodite,
Mẽtis petram rigentem scindite,
Condolentem dolenti facite.

## *De spinea Corona.*

SPina, mihi cur non cor laceras?
Regis nonne fronte degeneras?
Laureandum caput dum laceras,
Cordi meo te precor inseras.
Flos, qui culpæ spina non læditur,
Cur pœnali spineto plectitur?
Spina nostra justè reliditur,
Pro injustis dum justus pungitur.

Spina

Spina, spina; nosti quem laureas?
  Rex est, sedes donans sidereas:
  Fons, qui fauces facit nectareas,
  Stillas siti propinans melleas.
Cum me mundi pungit malitia,
  Adsis mihi quæso memoria
  Tui certe reminiscentia,
  Dat puncturis nostris remedia.
Lege, Lector, sermone supplici,
  Frontem scriptam spina multiplici.
  Spina scribit amoris unici
  Chirographum, in fronte simplici.
Me fœlicem ô spina faceres,
  Si compunctum cor mihi pungeres.
  Pungas ergo, cum pungens superes
  Haustus mellis, & favos uberes.
Genu Regem flexum exasperat,
  Et in risum honor degenerat:
  Ave dicens, risum exaggerat,
  Et irrisor regem eviscerat.

De

## *De Corona Christi, ex Missali Parisiensi.*

SPina pungens acumine,
Dum carnem Christi perforat,
Ejus nos rigat sanguine,
Eique nos incorporat.
Spina quæ pupugerat
Patientem Dominum,
Pœnitentes liberat
A punctura criminum.
Regis patientiam
Miles imitetur,
Et per pœnitentiam
Spinis coronetur.
Sacerdotes sacerdoti
Summo benedicite,
Et coronæ sacræ
Toti vos hæredes subdite.
Te laudamus Iesu bone,
Qui certantes in agone
Confortas ex munere,

Dum honorem das coronæ.
Fac ex tua passione
Nos adversa vincere.

## *De eadem ex Missali Ambianensi.*

DIadema salutare,
Toto corde nos laudare
Condecet & vocibus.
Voci vitam concordemus,
Vt coronam reportemus,
Pro coronæ laudibus.
Spina pungit campi florem,
Latè spirat flos odorem,
Per quem vivunt omnia.
Caput lædit punctione,
Membra sanat unctione,
Spinarum molestia.
Vide Sion filia,
Coronæ ludibria
Veri Salomonis.
Aurum gemmas repulit,
Et coronam pertulit
Tribulationis.
Spinæ pœna Christum pungit,

Pœnas nostras Christus ungit,
Miranda dulcedine.
Iam sit dulcis crucis pœna,
Cruentâta vitæ venâ,
Spinarum acumine.
Pro corona superborum,
Spinam portat, spreta florum
Gloria Rex gloriæ.
Spinæ plecta nostros
Plectit inimicos, & nos
Nectit Deo, jungit gratiæ.
Spinas profert sceleris
Ager Adæ veteris,
Terra maledicta.
Redit benedictio,
Dum fit spinæ punctio
Carne benedicta.
Cum corona pungens cingit
Christi caput, & constringit
Spinarum angustia:
Spinæ nostræ confringuntur,
Nam dolores leniuntur,
Et purgantur vitia.
O quam fœlix hæc punctura,
Cujus surgunt ex læsura

Virtutes & præmia.
Benedicta sit hæc spina,
Per quam fluit hæc resina,
Mala curans omnia.
Laudes ergo Dominico
Serto demus mirifico,
Voce plena.
Per quod salus acquiritur,
Vita redit, mors moritur,
Perit pœna.
Supplicamus Iesu bone,
Nos perducas vi coronæ
Ad coronam gloriæ.
Tua spina nos confortet,
Vt mens læta nostra portet
Spinas pœnitentiæ, Amen.

## *De eadem Corona ex Missal. Parisiensi.*

SAcræ Christi celebremus
Coronæ solemnia,
Et ipsius revocemus
Ad mentem præconia,

Vt impleta comprobemus
Legis vaticinia.
Inter vepres demonstratur
Vervex hærens cornibus,
In quo Christus figuratur
Coronandus sentibus,
Deus immolatur
Homo pro hominibus.
Sinæ rubus inflammatur,
Nec tamen comburitur,
Ignis spinis coronatur,
Quo culpa consumitur,
Nec læditur, sed sacratur
Spina, dum sic tangitur.
Arcam, mensam, & altare
Sertum ambit aureum:
Et sculptura cingit mare
Sacerdotum æneum,
Quæ nunc Christi signat clarè
Diadema spineum.
Sponsum serto decoratum
Isaias meminit,
Ad videndum coronatum
Invitans Rex cecinit,
Hoc Sibylla revelatum

Sibi prosa concinit.
Gloria & honor Deo
Vsquequaque altissimo,
Vna Patri, Filioque,
Inclyto Paraclyto,
Cui laus & potestas
Per æterna sæcula. Amen.

## *De Arundine data Christo pro sceptro, Patris Ioannis Hondemii.*

GEns furoris genus vipereum,
Sceptrum regi dat arundineum:
Vt det nobis sceptrum sidereum
Sceptrum Princeps adsumit scirpeum.
Quantum, Princeps, amore præmines,
Qui probrosa sceptra sic retines?
Probra sumis, ut probra termines,

Ex quo Cœli clarescunt cardi-
nes.
Cœli cives, hoc sceptrum cernite,
Et sceptratum mecum deplangi-
te,
Immortales, plangendo vivite,
Et migrare me planctu sinite.

## *De Bajulatione Crucis & nudatione, ex eodem.*

MOriturus multis pro miseris,
Crucem portas aptatam
humeris,
Ad reorum locum adduceris,
Vt probrosi vim sumas funeris.
Fit concursus grandis currentium,
Regem velut furem spectan-
tium,
Princeps factus grande prodi-
gium,
Iter agis, ambis ludibrium.
Dum me tecum, ut finem videam,
Vt migranti saltem condoleam,

Et ut mortis ſacratæ frameam,
Auditurus, dolens enucleam.
Denudaris & veſtes exuis,
Nuptialem veſtem qui tribuis:
Stolam nobis dum nudus conſuis,
Nuditate tuâ nos induis.
Denudaris qui veſtis lilia,
Vt nudatus miniſtres pallia:
Caro, veſte dum caret regia,
Sub amoris gemit potentia.
Hæc nos tua veſtit nudatio,
Et honorat angens irriſio:
Dat coronam ſpinæ rotatio:
Et ſceptrari nos facit paſſio.
Dolens donas dolori gaudium,
Pœnis preſſus, das refrigerium:
Alas pandis ad inſtar avium,
Et pro pullis fit pectus ſaucium.
Diligentem ſi rediligerem
Te vel parum, non ſic dureſcerem,
Imo totus fletu defluerem,
Pro me nudum dum te recolerem.

## *De Christi crucifixione.*

VEstem missa sors dat militibus,
Et transfusus ferratis trabibus,
Clavellaris Rex cum latronibus,
Vt regnare des transgressoribus.
Impleturus Rex vaticinium,
Iniquorum subis consortium,
Et mercaris per improperium
Reprobandis regale solium.
Caro candens livet sub malleo,
Fit & incus ex osse niveo.
Faber orbis sub fabro ferreo,
Rore tremit perfusus roseo.
Puri pedes, cum mundis manibus,
Conclavantur in crucis cornibus:
Fodiuntur venæ cum ossibus,
Et madescit crux rubris imbribus.
Non sic sitis lupi luxuriat,
Quem agninus torrens inebriat,
Vt lupina gens cum te laniat,
Et in cruce cruentis sauciat.

Brachiorum illa nobilitas,
Digitorum plana proceritas,
Et candentis palmæ serenitas
Ferro cedunt, & riget lenitas.
Rex amoris nectar perpetuum,
Quidnam volunt hæ plagæ manuum?
Cur sic haurit fontem irriguum
Ferri furor, frangens innocuum?
Vnde ferro tanta licentia?
Vt ingressum regis cellaria
Vitis bibat vina vernantia,
Et desiccet dulcoris dolia?
Vnde ferro tale dominium,
Vt confringat Regis rosarium,
Et imponat more gaudentium,
Sertum sibi de rosis regium?
Ferrum certè frænum efficeris,
Luxum Adæ refrænans veteris:
Et dum Adam novũ ingrederis,
Cæli nobis secretum aperis.
Manus summo sceptranda lumine,
Cum ex ferri rubes acumine,
Et recenti signaris sanguine,
Fletus fundi delerem flumine.

Regis languor adlidit oculum,
Cujus lustrat pupilla sæculum,
Et transcendit nascentem floscu-
lum,
Quem vernale gignit dilucu-
lum.
Pupillarum migrant deliciæ,
Quarum migrat amor in acie:
Nox quid facis in lucis facie?
Cur invadis solem meridie?
Lumen nescit frontale speculum,
Dum mors claudit amoris ocu-
lum.
O amoris pupilla pabulum,
In me migrans confige jacu-
lum!

## *Ad Christum crucifixum.*

MOrti nihil debens quum in-
teris,
Moriturus Rex vitam aperis:
Prædam morti dum te permise-
ris,
In prædantem victor inveheris.

Vt vinceres amores mentium,
Vltro ſubis mortis exitium,
Parvipendens lethalem gladium,
Vt lucreris ignes amantium.
Nec humana mors ſimplex ſumitur,
Sed quæ mortes omnes tranſgreditur:
Sic clareſcit, quantum diligitur,
Qui per mortem tantam redimitur.
Adhuc autem ut frigens ferveam,
Polliceris ſedem ſideream,
Repromittis, ut tecum teneam
Sceptrum regni, caſuque careã.
Ergo paſtus pudoris ubere,
Quid repoſcis pro tanto munere?
Quid me tibi jubes rependere?
Certè ſolum te rediligere.
Ergo vicem niſi reddidero,
Quales mihi pœnas accelero?
Quod tormentum, ſi non amavero.

Quem amoris ſic enſe vulnero?
Sed cum omnis ſis dator gratiæ,
Sis mentales mihi deliciæ,
Fac ut tibi flos amicitiæ,
Mentis fragret in horto ſauciæ.
Et amari cum te præcipias,
Da quod jubes, & menti venias:
Et ſic ęgro cordi ſubvenias,
Vt ad tuas curram delicias.
Patres paſcens panis placentiæ,
Da mendico vel micam hodiè,
Vt exemptâ ſciam eſurie,
Vitæ panis quæ ſint deliciæ.

## *Ad eundem.*

CVr pœnoſa pius amplectitur?
Cur in umbras ſplendor projicitur?
Quare ſqualet, quo pratum pingitur?
Grana gignens, granum cur moritur?
Cur potatur aceto vinea?
Cur pupillæ luget lux aurea?

Cur dolatur domus eburnea?
Cur exspirat granum sub palea?
Quare strepit melos Angelicum?
Cur emarcet vitæ viaticum?
Cur marcescit manna magnificum?
Cur velatur jubar Hierarchicum?
Cur clavatur, qui clausa reserat?
Quare pendet, qui montes ponderat?
Vniversi librum qui reserat
Totum legens, trabes cur tolerat?
Quare livent regnantis latera?
Cur plagatur, qui placat vulnera?
Cur humatur, qui signat sidera?
Cur in vias planas sunt aspera?
Plaga livens colore rubeo
Non est lita, seu fota oleo,
Nil medetur cruori roseo,
Nil tumori valet vulnereo:
Non fomentum, non medicamina
Sunt tumenti plagæ juvamina:
Non curatur ut cruciamina

Cur

Cura curet lavantis crimina.
Hæc pro nobis Princeps sustinuit,
Qui se vinclis amoris præbuit;
Se dans nobis exemplar tribuit,
Hoc eundem iter, quod tenuit.

## *De Christo crucifixo ex eodem.*

VBi frontis prioris lilium?
Vbi labri dudum rosarium?
Singulare cur luget gaudium?
Cur mutatur in virum alium?
Faciei quò flos evanuit?
Vbi vultus, quem Cœlum stupuit?
Vbi decor, qui pari caruit?
Heu flos vernans totus exaruit.
Nonne Iesum videre pridiè
Summæ nobis erant deliciæ?
Iam erumpit horror in facie.
O quis dolor! quantæ tristitiæ!
Quo fluxere facta miracula,
Quæ fecerunt stupere sæcula?

Vbi vivens poſt mortis Iacula?
Vbi cæcus immunis maculâ?
Vbi Panis qui mille paverat?
Vbi Vinum, unda quod fuderat?
Vbi mutus qui linguam reſerat!
Et quò rea quam verbo liberat?
Ejus heri fuit eloquium,
Auri melos, mel audientium,
Nunc adductus ad conſiſtorium,
Linguam ligat & claudit labiũ.
Heri, ſtolam ſanctorum texuit,
Et nunc ſtola carens erubuit,
Heri doctum Cherub edocuit,
Nunc quæſitus ut ovis mutuit.
Heri dedit vincenti lauream,
Ecce portat jam frontem ſpineam:
Heri dixit ſe verè Vineam;
Nunc labruſcam deguſtat felleam.
Heri ſolem accinxit radio:
Nunc ſuſpirat preſſus ſudario,
Sanctis erat heri refectio;
Nunc exclamat in cruce ſitio.

Pro mœrore qui donat pallium,
Nunc mœroris deducit fluvium;
Solus ſanans ſciſſuras cordium,
Sauciatus ſanxit ſuſpirium.
Cuncta ſolus diſponens ſæcula,
Strictæ trabis tenetur tabula,
A quo datur cœleſtis infula,
Rex ſceptratur arenti ſtipula.
Qui ſic amat, quod nunquam deſerit,
Derelictus & dolens interit,
Latus cujus cum ferrum aperit;
Cœlum fractum patenter aſſerit.
Regem clavi clavatum quatiunt,
Per quem polum triones ambiunt,
Quem Cœleſtes ſenatus ſitiunt,
Fures ſibi conſortem ſentiunt.
Qui coronam donat pro cinere,
Iam humandus ponetur pulvere.
Vt quid plura? mors veni properè,
Noſque ſimul velis invadare.

Sic affines, sic consanguinei
Prolem plangunt ventris Virginei.
Planctus fluunt tanquam turturei,
Rege morso morsura laquei.

## *Oratio ad pectus Christi.*

O Amoris pectus ærarium!
Tu divini vini cellarium!
Omnis cœli detraxit pallium,
Qui te nudat amictu vestium.
Te saluto complosis manibus,
Cujus Cœlũ est impar laudibus,
Instar veris cum vernat floribus,
Delicatis flagras amoribus.
Pectus ave vena clementiæ,
Flos cœlorum, fons sapientiæ,
In te bibit fluenta gratiæ,
Præco regis jubar Ecclesiæ.
Pectus gignens amoris gemitus,
Charitatis thronus & inclytus,
Fons dulcoris fluentis cœlitus,
Te sitire fac me medullitus,

Dei-

Deitatis ô pectus scrinium,
Cur non torquet cor hoc exitium,
Cum rubescis flagellis saucium,
Et livescis ictu cædentium.
Tu bis tinctum colore duplici,
Candens rubes rore multiplici;
Scutum cordis factum magnifici,
Vltro sinis te flagris subjici.
Rogo scutum tu mihi facias,
Cùm sensero mortis molestias,
Te complexus ejus insidias
Non verebor, sed nec versutias.

## *Ad sacratissimum Christi vultum.*

SI daretur pennæ peritia,
Exararem vultus præconia,
Quem amoris omnipotentia
Decolorat ut Hyems lilia.
Tibi vultus transcendens lilium,
Magis placet palloris pallium,

Quam coloris decus eximium,
Vt colores vultus pallentium.
Cum pro nobis gena pallueris,
Tuum nobis decorem inſeris,
Ad hoc enim amore cogeris,
Cujus volens virtute vinceris.
Si timeres mors auſa temerè,
In hunc vultum ſacrum irruere
Non obiſſes hoc rea ſcelere,
Alligata jam juſto funere.

## *De Sacroſancta Ieſu Chriſti facie. Ex Officio B. V. ſecundum uſum Romanum.*

SAlve Sancta facies,
Noſtri Redemptoris,
In qua nitet ſpes
Divini ſplendoris,
Iam preſſa panniculo
Nivei candoris,
Dataque Veronicæ
Signum ob amoris.
Salve decus ſæculi,

Speculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt
Spiritus cœlorum :
Nos ab omni macula
Purga vitiorum,
Et tandem consortio
Iunge beatorum.
Salve nostra gratia
In hac vita dura,
Labili ac fragili
Citò transitura :
Nos perduc ad patriam
O fælix figura,
Ad videndum faciem
Quæ est Christi pura.
Esto nobis quæsumus
Tutum adjuvamen,
Dulce refrigerium,
Atque consolamen.
Vt nobis non noceat
Hostile gravamen :
Sed fruamur cœli requie
Omnes dicant Amen.

## *Ad Cor Christi ex P. Ioanne Hondemio.*

COr cur libet ita diligere,
Vt claudaris amans in funere?
Nunquid tibi videris vivere
Dum exſpiras amoris vulnere?
Nunquid amor hoc te docuerit,
Quod tu vincis, cùm te devicerit,
Et tunc vivis cum letho læſerit?
Et triumphas, cum te ſubegerit?
Nunquid docet quod donat vivere,
Cum mucronem vibrat in vulnere?
Num oblectat dans fletus fluere?
Aut plus ſanat, plus ſtudens lædere?
Ita verè ſic amor docuit,
Refer grates quòd te ſic imbuit,
Et ſic clamans paratum præbuit,
Contra letha qui lethum tenuit.
Cor ſic amans amoris ſtillulam

Cor-

Cordi meo dones vel parvulam:
Fac amoris ſacri nubeculam,
Non amantis lavare maculam.
Amor, alvo Matris te texerat;
Et nunc crucis altari lacerat
Nunc lethali telo, te vulnerat,
Vt defunctos ad vitam efferat.
Cum te cano cor amans tenerè,
Pelicanum cogor recolere,
Lanceato qui roſtro latere,
Proli migrans mercatur vivere.
Sacer amor ſecretum reſerat,
Vt defunctis medelam adferat:
Lethum donans à letho liberat:
Enſe mortis mortem eviſcerat.
Cor amoris conſcriptum literis,
Turturina corda tranſgrederis:
Te ſaluto cor pium miſeris,
Loris ſemper ligandum teneris.
Mihi mortis fundas dulcedinem
Mater limans culpæ rubiginem,
Pietatis fac plenitudinem,
Serenare mentis caliginem.

## *De Christi sepulturâ Reverendi Patris Ioannis Hondemii.*

CAvo tandem saxo reconditur,
Cujus mundus pugillo clauditur,
Quantus dolor cum stella sternitur,
Et sol verus mundo subtrahitur.
Dulcem Mater flet unigenitum,
Tenebroso lare reconditum,
Et dum corpus humatur inclytum,
Ense sentit mulctari spiritum.
Amor Iesu quo totus influis,
Te morari cogit cum mortuis,
Quam amandum te nobis astruis,
Cum humandum te tumbæ tribuis.

HYM-

# HYMNVS

*Religiosissimi ac devotissimi Patris Iosephi Anchietæ Societatis Iesu ad Beatissimam Virginem Mariam de vulneribus Christi Domini.*

*EX authoris autographo quo gaudent Patres Societatis Iesu Montibus, quod tanti viri totque à Deo miraculis decorati monumentum, ad instar reliquiarum asservat & veneratur.*

## De Capite.

AVe Matris cor benignæ,
Quod crudeles pungũt spinę,
Nati fixæ capiti.
Illi caput perforarunt,

Tibi pectus lacerarunt,
Mundi culpa perditi.
Fige meum ne vagetur,
Intellectum, sed rimetur,
Plagas tuas dulciter.
Tu cum Iesu, Iesus tecum,
Maneatis semper mecum,
Amplectendo fortiter.

## *De manu dextera.*

AVe Matris cor lugentis,
Quod diris clavus tormentis
Dextræ manus afficit.
Felix clavus qui divinum,
Natum simul, & benignum,
Matris pectus conficit.
Pia Mater Redemptoris,
Tui leviter amoris,
Mihi manum adhibe.
Tange lepram, & mundabor,
Tange vulnus, & sanabor,
Et peccantem cohibe.

## De sinistra.

AVe partus Matris almæ,
Cui sinistrum vulnus palmæ,
Dirum vulnus imprimit.
Iste clavus tibi impressus,
Quo perimitur Iesus,
Culpe mortem perimit.
Tuo genitrix dolore,
Salutarique timore,
Carnes meas saucia.
Vt peccata caveantur,
Dum tremenda formidantur
Domini Iudicia.

## De pede dextero.

AVe Matris cor sacratum,
Quod contemplor cruẽtatum,
Dextri pedis cuspide.
Ad te currit cor amantis,
Animusque singultantis,
Te suspirat avide.
O si tuæ castitatis,

Suavis odor hamatis,
Me sagittis feriat?
Vt extincto carnis bello,
Tua pietas in cœlo,
Me victorem capiat.

## *De Sinistro.*

AVe Matris cor afflictum,
Quod cum nato gravẽ ictum,
Lęvi pedis pateris.
Nullam culpam cum patraris,
Omni pœna cruciaris,
Omni plaga læderis.
Ne me culpis maculatum,
Me sceleribus fœdatum,
Pœnis dede meritis.
Vt cum miti humilitate,
Humilique paupertate,
Tuis addar subditis.

## *De Latere.*

AVe Matris cor honestæ,
Cujus Simeone teste,
Ensis fidit intima.

Dum

Dum defuncti latus nati,
Rupit militis armati,
Hasta crudelissima.
In te Spinæ conjurarunt,
Clavi, crux, & quæ fœdarunt,
Flagra dura filium.
Vt cum nato morienti,
Maternæ supersit menti,
Nullum refrigerium.

## HYMNVS

*Piissimus de Passione Domini, quem Diva Virgo Indum quendam regni Peruani ab inflatione tibiarum liberans docuit. Eum ex lingua Indica fideliter vertit in Latinam Pater Franciscus Bencius Societatis Iesu.*

Pater en noster, genitor noster,
Rigidis clavis in cruce fixus,
Cruor è toto corpore manans
Omnes circum proluit artus.

Cernisque caput, declive caput,
Caput hoc flavæ simile aristæ
Viden'ut cingunt spinea serta,
Vsque ad tenerum fixa cerebrum?
Patris heu nostri cerne capillum
Sparsum, incomptum, sanguine fœdum,
Oculi tristes, lumina mæsta,
Roseas lachrymas largè effundunt.
Fluxisse putes molle corollum,
Heu confudit jam decus oris,
Pallorque genis sedet exanguis,
Etiamne manus, patrisne manus,
Patris nostri, pulchræne manus
Ferro affixæ sanguine rorant,
Os mellifluum patris nostri
Pro me misero jam conticuit.
Extra Solymæ mœnia terræ
Crucis exivit mole gravatus,
Et pro scelerum mole meorum,
Extra Solymam crucifixus obit.

*Lamen-*

## *Lamentatio de Morte Christi Domini, P. Ioannis Hondemii.*

ECce migrat flos redolentior
Omni flore, melleque melior.
Sed heu miser! cur non commorior,
Dum sermonem mortis aggredior?
Ecce migrat quem forti gladio
Verus amor premit in prælio:
Cujus probat affectum passio,
Velut aurum ignis incendio.
Ecce migrat cœli solatium,
Rosa veris, & violarium,
Melos lyræ, viellæ gaudium,
Philomela promens præconium.
Ecce migrat, quem semel cernere
Plus est sanctis quàm cœlos scandere,
Quem lugentes inferni carcere
Si viderent, carerent funere.

Iugis migrat gemma lætitiæ,
  Nocte micans ut sol meridie,
  Cujus semel lustrari facie
  Cælum cæli vocatur propriè.
Ecce migrat cæli fragrantia,
  Dux decoris, rex plenus gratiâ,
  Cujus mulcet semel præsentia,
  Plusquã torquent mille martyria.
Petrus pede qui pressit maria,
  Vera probat ista præconia,
  Dum in cruce litatur hostia
  Ipsa lethi lætus angustia.

## *De Prodigiis in Morte Christi, & de plaga lateris.*

SOl ne cernat, extinguit radium,
  Vultum morte pallentem regium,
  Et ne cernat dolare lilium
  Virginale, manus dementium.
Erubescit nudum respicere,
  Per quem cælum vestitum sidere,
  Sibi mavult lumen adimere,
  Lucis fontem quam fractum cernere.

Triumphanti dans testimonium,
Morte surgit cætus fidelium,
Quod testatur vitæ principium,
Dum cõfringit mortis imperium.
Fenestratur latus in lancea,
Et emanat unda sanguinea,
Fons redundat in carne rosea,
Quo lavatur mens ut sit nivea.
Templi salit de dextro latere,
Aqua viva lavans à scelere,
Dono Dei novit effluere,
Fons jam patens, potens abluere.
Dormientis Adæ subtrahitur
Costa, de qua conjunx efficitur,
Et dum somnus in cruce sumitur,
Sacramentum de costa scinditur.
Regis latus mucrone saucium,
Dum hoc nobis dat refrigerium,
Salutarem ministrans fluvium,
Doliturus propinat gaudium.
Te lætanter (ô latus) lamberem,
Et me melle tuo reficerem,
Fœlix certè si te contingerem,
Vel de longè saltem respicerem.
Rex qui latus in signum fœderis,

Nobis primum dignanter aperis,
Aqua lotos tam digni lateris
Nos exornes, & jungas superis.
Amen.

## HYMNVS
### *De Sanctissimo Iesu Nomine. Ex Missali Trajectensi & Parisiensi.*

DVlcis Iesus Nazarenus,
Iudæorum rex amœnus,
Pius, pulcher, floridus.
Pro salute suæ gentis,
Subit mortem cum tormentis,
Factus pallens, lividus.
Dulce nomen & cognomen,
Hoc transcendens est prænomen
Omnibus nominibus.
Mulcet reos, sanat eos,
Fovet justos, munit eos,
Servans ab insultibus.
Hujus regis sub vexillo,
Statu degis in tranquillo,
Hostes

Hostes tui fugiunt.
Nomen ejus meditatum,
Belli fugat apparatum,
Hostes victi rugiunt.
Hoc est nomen recolendum,
Quod sic semper est tremendum
Malignis spiritibus.
Hoc est nomen salutare,
Et solamen singulare,
Quod succurrit tristibus.
Hoc nos decet honorare,
Arca cordis inserare,
Cogitare, peramare,
Amore sed heroico.
Ignatius hoc docuit,
Illud passus insonuit,
Cor ejus scissum patuit,
Inscriptum Iesu cælico.
Vt quid majora cupimus,
Quam quod Iesus sit intimus,
Qui est præamantissimus,
Et quærit nos peramare?
Amat is ferventissimè,
Amat is constantissimè,
Amat & fidelissimè,

Suos-

Suosque vult adjuvare.
Nomen suum fecit tale,
Vt sit suis cordiale,
Capitale, principale
Dilectum ex intimis.
Habent hoc naturæ jura,
Vt amantem totâ curâ
Reamemus, placitura
Præstantes ex animis.
Iesu nomen omne bonum
Tenet, dulcem facit sonum,
Promeretur regni thronum,
Auditum lætificat.
In hoc lucet splendor patris,
In hoc patet decor matris,
In hoc fulget honor fratris,
Hoc fratres magnificat.
Caput Iesu, cor, mens, manus,
Vulnus, livor, sanguis planus,
Pedes, corpus, vigor sanus,
Parantur hominibus.
His torquentur passa dura,
His læsura, & natura
Reparantur pia cura
Purgatis criminibus.

Ergo si quis velit scire
  Quare nomen Iesus mirè
  Facit bonos concupire
  Sui inhærentiam.
Iesus pulcher in decore,
  Summè bonus in valore,
  Mitis, lenis cum dulcore,
  Pronus ad clementiam.
Iesus est rex generosus,
  Iesus formâ speciosus,
  Iesus linguâ gloriosus,
  Et mirandus opere.
Iesus fortis, animosus,
  Iesus pugil vigorosus,
  Iesus donis copiosus,
  Et gaudet tribuere.
Iesus piè viscerosus,
  Iesus doctor luminosus,
  Iesus est delitiosus,
  Et sapit dulcissimè.
Iesus famâ gloriosus,
  Iesus cunctis fructuosus,
  Iesus totus virtuosus,
  Fovet suos optimè.
Summè potens in vigore,

Summè celsus in honore,
Summè gratus in amore,
Omnem laudem obtinet.
In sciendo summè sapit,
Ambiendo cuncta capit,
Diligendo corda rapit,
Et ablata detinet.
Eja nobis nomen gratum
Iesus dulcis appellatum,
Sit in corde sic firmatum,
Vt non possit erui.
Hoc reatum peccatorum
Tollat, præstet jubilorum
Odas, sede beatorum
Donet nobis perfrui. Amen.

## *Hymnus de laudibus S. Crucis.*
## *Ex Missali Leodiensi.*

SI vis vera frui luce,
In præclara Christi cruce
Gloriari studeas.
Vt de passionis clavis,
Fabricetur tibi clavis,
Quâ cælum introeas.

Hæc

Hæc est clavis secretorum,
 Hoc in fronte signatorum,
 Signum est victoriæ.
Hoc sigillum summi regis,
 Hæc est scala novæ legis,
 Hoc vexillum gloriæ.
In hoc vecte botrus vectus,
 In hoc palo præelatus
 Morbos sanat omnium.
Hic est lectus præelectus,
 Ex electis est confectus
 Liliis convallium.
In hoc signo triumphali,
 In hac virga pastorali,
 Virga pœnitentiæ.
Mare cedit & obedit,
 Mundus credit, & recedit
 Error ignorantiæ
Ergo mundas, & fœcundas,
 Nobis undas crux effundas
 De petra dulcedinis.
Aquâ mundâ nos emunda,
 Et cælesti nos fœcunda
 Fonte plenitudinis. Amen.

## *Alius Hymnus de ejusdem S. Crucis laudibus ex veteri Missali Romano.*

SAcrosanctæ crucis lignum,
Est jucunda laude dignum,
Et omni tripudio.
Hoc insigne crucis lignum
Hostem effugat malignum,
Suæ lucis radio.
In cruce per verbum Dei,
Redeunt ad vitam rei,
Sacræ mortis pretio.
Crux est ara nostræ spei,
Si jungamur toto ei
Cordis desiderio.
Crux hostem quæ dejecit,
Et pro nobis satisfecit,
Salvet nos in prœlio. Amen.

FINIS.

# TABVLA
## Considerationum.

### LIBER PRIMVS.
### VVLNERA CHRISTI.

## LIBER SECVNDVS.

## CHRISTVS VVLNERATVS.

## VVLNVS LATERIS CHRISTI.



## LIBER TERTIVS.



6. De

FINIS.